

§. 27.

Quum in foco C corpora combustibilia ardent, ignis calor aerem in D, E, F, G contentum rarefacit: totum autem illud spatiū extēmō nō nō aere impletur, qui sive per portam n.^o 2, sive ea clausa, apertoque cinerarii fundo, per alteram n.^o 1 ingreditur. Primo in casu *Cupellæ*, altero *Fusionis Fornacem* habebimus. Et ea quoad Fornacūm theoriam satis sint, quæ quidem facili negotio ad usum reduci possunt.

C A P. III.

De nonnullis veritatibus ad theoriam illustrandam accommodatis.

Lem. I.

CORPVS combustibile illud vocatur, quod ex natura sua oxygenio copulari nititur.

Lem. II.

Corpus combustibilitatem ipsi propriam amittit, cum ejus ad oxygenium nifus, ob illius cum ipso oxygenio saturatio-
nis statum, omnino evanuit. Lem.

Lem. III.

Idem corpus combustibile iterum devinit, quoties ipsi oxygenium quomodo cumque abstrahitur.

Lem. IV.

Acida cuncta communi gaudent acidificationis principio.

Lem. V.

Principium hoc acidificans, acidis omnibus commune, ad eorumque constitutionem necessarium, oxygenium est.

Lem. VI.

Radicalia vero acidificabilia in unoquoque acidorum differunt, ex illorumque varietate diversa pendet acidorum natura, ac proprietates.

Lem. VII.

*Aer vitalis ex oxygenii cum calori-
co compositione provenit.*

Lem.

Lem. VIII.

Aer atmosphæricus ex gas oxygenii, & gas azotici, seu potius oxygenii azotisque, in statu gas constitutorum, unione originem dicit.

Lem. IX.

Inter fluida quælibet elastica vitalis tantum aer substantiarum metallicarum inservit combustioni.

Lem. X.

Metallicæ substancialiæ in aere atmosphærico combustibiles existunt, quod oxygenium, in cuius mutuos amplexus ruunt, aere ipso inexsistit.

Lem. XI.

Quæ in aere vitali locum obtinet combustio, vividissima est, ac rapidissima.

Lem. XII.

Quamvis substantiarum metallicarum com-

combustioni aer vitalis maxime inserviat, non integer tamen in iisdem fixus ipse redditur, sed ejus tantum basis, oxygenium.

Lem. XIII.

Rapida substantiarum metallicarum combustio cum caloris lucisque evolutione conjuncta est, quae ab aeris vitalis substantia segregantur.

Lem. XIV.

Substantiae metallicae sunt corpora simplicia.

Lem. XV.

Metallicarum substantiarum oxydatio, sive aquae, sive ignis, sive aeris, aut acidorum denique ope fiat, earumdem substantiarum cum oxygenio compositio nunquam non est.

Lem. XVI.

Oxyda metallica ex primo oxygenationis gradu proveniunt.

Lem.

Lem. XVII.

Oxyda metallica metallis, a quibus originem duxerunt, graviora sunt.

Lem. XVIII.

Menstrum, ut præsentissima obtineatur dissolutio auri, est acidum nitro-muriaticum, vel muriaticum oxygenatum.

Lem. XIX.

Platini, est acidum nitro-muriaticum, vel muriaticum oxygenatum.

Lem. XX.

Argenti, acidum nitricum.

Lem. XXI.

Cupri, acidum nitricum.

Lem. XXII.

Ferri, acidum sulphuricum, vel nitricum.

Lem.

combustioni. *Lem. XXIII.* lime inferiat, non integrum tamquam idem fixus ipso
— Stanni, acidum nitro-muriaticum, vel muriaticum oxygenatum.

Lem. XXIV.

Rapido ardore metallarum
— Plumbi, acidum nitricum.

Lem. XXV.

— Niccoli, acidum nitricum.

Lem. XXVI.

— Zinci, acidum sulphuricum, vel
nitricum.

Metallarum sulfurearum oxydatio,
Lem. XXVII. sive
dorum denique operat, carbonatum sub-

— Arsenici, acidum nitro-muriati-
cum.

Lem. XXVIII.

— Wismuthi, acidum nitricum.

Lem.

Lem. XXIX.

— Cobalti , acidum nitricum , vel
muriaticum.

Lem. XXX.

— Magnesii , acidum nitricum.

Lem. XXXI.

— Molybdæni , acidum nitricum ,
vel arsenicale.

Lem. XXXII.

— Stibii , acidum nitro-muriaticum.

Lem. XXXIII.

— Tunsteni , acidum muriaticum ,
vel nitricum.

Lem. XXXIV.

— Hydrargyri , acidum nitricum ,
vel sulphuricum.

Lem.

Lem. XXXV.

Substantiæ metallicæ aptatis menstruis
dissolutæ ex solutionibus deturbari pos-
sunt.

Lem. XXXVI.

Corpora ad præcipitationes inservien-
tia enumerantur salia alkalina , liquores
acidi , salia composita , aqua , terræ , nec-
non metalla ipsa .

Lem. XXXVII.

Ex dato præcipitati pondere , substan-
tiæ metallicæ dissolutæ quantitas æstima-
ri potest .

Lem. XXXVIII.

Auri 110 grana per sodam præcipita-
ta , ex solutione nitro-muriatica , respondet
gr. - - - - - 100 Reguli .

— per carbonatē sodæ - 106 = 100 Reg.

— per sulphatē ferri - - 100 = 100 Reg.

Lem.

— per sodiu *Lem. XXXIX.* $\equiv 100$ Reg.

Argenti 129 gr. per carbonatēm sodæ
præcip. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.

— per sodam præcip. - 112 $\equiv 100$ Reg.

— per prussiatēm potassæ 145 $\equiv 100$ Reg.

— per muriatēm sodæ - 133 $\equiv 100$ Reg.

— per sulphatēm sodæ - 134 $\equiv 100$ Reg.

Lem. XXXX.

Cupri 194 per carbonatēm sodæ præcip.
ex solut. nitrica - - - - = 100 Reg.

— per sodam præc. - - - 158 $\equiv 100$ Reg.

— per prussiatēm potassæ 530 $\equiv 100$ Reg.

Lem. XXXXI.

Ferri gr. 225 per carbonatēm sodæ
præc. ex solut. muriatica , vel sulphurica,
gr. respondent - - - - - 100 Reg.

— per sodam - - - - - 170 $\equiv 100$ Reg.

— per prussiatēm potassæ 590 $\equiv 100$ Reg.

Lem.

Lem. XXXXII.

Stanni gr. 131 per carbonatem sodæ
præc. ex solut. nitro-muriatica = 100 Reg.
— per sodam - - - - 130 = 100 Reg.
— per prussiat. potassæ - 250 = 100 Reg.

Lem. XXXXIII.

Plumbi gr. 132 per carbonatem sodæ
præc. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.
— per sodam - - - - 116 = 100 Reg.
— per sulphat. sodæ - - 143 = 100 Reg.

Lem. XXXXIV.

Niccoli gr. 135 per carbonat. sodæ
præc. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.
— per sodam - - - - 128 = 100 Reg.
— per pruss. potassæ - - 250 = 100 Reg.

Lem. XXXXV.

Zinci gr. 193 per carbonat. sodæ præc.
ex solut. nitrica - - - - = 100 Reg.
per

- per sodam - - - - 161 = 100 Reg.
 — per prussiat. potassæ - 495 = 100 Reg.

Lem. XXXXVI.

Arsenici gr. 180 per prussiat. potassæ
 præc. ex solut. nitro-muriat. = 100 Reg.

Lem. XXXXVII.

- Wismuthi gr. 130 per carbonat. sodæ
 præcip. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.
 — per sodam - - - - 125 = 100 Reg.
 — per prussiat. potassæ - 180 = 100 Reg.
 — per aquam - - - - 113 = 100 Reg.

Lem. XXXXVIII.

- Cobalti gr. 160 per carbonat. sodæ
 præcip. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.
 — per sodam - - - - 140 = 100 Reg.
 — per prussiat. potassæ - 142 = 100 Reg.

Lem.

Lem. XXXIX.

- Magnesii gr. 180 per carbonat. sodæ
præcip. ex solut. nitrica - - - = 100 Reg.
— per sodam - - - - 168 = 100 Reg.
— per prussiat. potassæ - 150 = 100 Reg.

Lem. L.

- Stibii gr. 140 per carbonat. sodæ præc.
ex solut. nitro-muriatica - - - = 100 Reg.
— per sodam - - - - 138 = 100 Reg.
— per prussiat. potassæ - 138 = 100 Reg.

Lem. LI.

- Hydrargyri gr. 110 per carbonat. so-
dæ præcip. ex solut. nitrica - = 100 Reg.
— per sodam - - - - 104 = 100 Reg.
— per prussiat. potassæ - 119 = 100 Reg.

(a)

Lem.

(a) Circa platini, molybdæni, ac tunsteni præ-
cipitationes, pauca adhuc existant experimenta.

Lem. LII.

Oxydi antimonia lis gr. 138, ab acido nitrico oxydati, reguli gr. 100 respondent.

Lem. LIII.

Stanni gr. 100, ab eodem acido oxydati, gr. 140 largiuntur.

Lem. LIV.

Zincum, ferrum, cuprum, metalla reliqua, paucis exceptis, sub regulina forma, ex suis menstruis dejiciunt.

Lem. LV.

Dum metalla alia ab aliis sub forma reguli præcipitantur, ponderis decrementum, quod in præcipitante amissum est, prænotari debet, ac in præcipitato, quod ex nova solutione obtinetur, subducendum est: nobis gitur subducta hæc quantitas erit $= a$.

XXXV.


Oxidi sulfoniosi eti, — spicido
trinco oxidato eti, — — — — —
— per sodio 59 = 100 Reg.
— per griffat, potash — 101 = 100 Reg.
Sauu di 100, se capelli scigo oxa-
ghe, de 140 perdimento.

Stibii gr. 100 per carbonat, sodie prae-
ce solut, natrium-nitrica — = 100 Reg.
Succin, fericum, cinnam, metabis-
tolidine; boric excessiu, tind, leucogialol,
— per peptin.

XXXVI.

Dura solubilis cum ad aliis deponere
lumen bicarbonatum bisuggerit decolorante
cum, dico in orobiciante amigella si,
boghiowit gespe, ac in bicacciat, dico,
ca-abea lompioue opacitate, lithopnictur
cum cui : super grecum triductum hinc denuo
criste erit = e.

(a) Circa platinii, molybdeni, ac tantum praes-
cipuum pauca adhuc exstant experimenta.



PARS ALTERA.

SECTIO PRIMA.

DE

DOCIMASIA.

CAP. I.

§. I.

DOCIMASIA ea est scientia, quæ substantiarum mineram quamlibet componentium diversitatem, & quantitatem tentaminis via determinat; æstimans nimurum ex effectu laboris circa exiguae quantitates suscepti, quinam ex magnis laboribus effectus, utilitatesque capi possint.

§. 2.

Ea igitur scientia chemicam continet analysin, in qua etiam usus calculi locum.

I 2

ha-

habet. Ejus vero finis est exacta substantia, substantiarumve metallicarum, quæ mineris continentur, speciei, earumque inter se proportionis cognitio; ita ut illius ope, quomodo substantiae aliae ab aliis disjungendæ, atque ad utilitatem converten-
dæ sint, definire valeat Philosophus.

§. 3.

Quum autem hanc scientiam non sub ea generali ratione (quod quibusdam placuit) pertractemus, ut omnium mineralium tentamina comprehendat; idcirco mineras tantum pro illius objecto consti-
tuimus. (Part. I. C. I. Art. III. §. 2.)

§. 4.

Ante Agricolam nulla erat nisi in Laboratoriis Docimasia, cuius quidem præcepta experimentis solum nixa alii ad alios quasi traditione quadam transmittebant. Ergo primus ille fuit, qui utilissimam hanc scientiam, quam Metallurgiae basim recte appellaveris, e chao fere eduxit; quem postea subsequuti sunt Erckerus, Mode-
stinus Fachius, Alfonius Barba, Edwardus,

dus, Schindlerus, Kieslingus, Geoffroyus, Gelbertus, Schluterus, Hellotus, Screiberus, Delius, Monetus, Cramerus, Buquetius, Henckelius, a quibus plurima utilia repetas. Maximam tamen huic scientiæ perfectionem addiderunt Stablius, Bergmannus, Sagius, aliique.

§. 5.

Metallicas substantias omnino puras raro admodum nobis exhibet natura: quin imo eas in penitissimis terræ abditis recondit, iis plerumque substantiis copulatas, quæ valde illarum proprietates immutant: unde hominis est labore & industria eas e terræ latebris educere, alias ab aliis se-jungere, & propriis iterum qualitatibus quodammodo exornare: ast quum nec metallicarum substantiarum qualitas, atque natura, nec quantitas atque proportio simplici mineræ intuitu determinari posse, Docimasiaque certo utrumque definit (§. 1.), inde est, quod una ea sit scientia, quæ Metallurgum de suorum laborum fructu capiendo certum reddat; sine qua profecto neque metallorum fundendorum, neque monetæ cudendæ offi-

cinæ aut exstare , aut certe utiles esse pos-
funt : tanta siquidem est Docimasiae ne-
cessitas , & in publicam felicitatem com-
moda.

§. 6.

Substantiæ metallicæ , quamvis ge-
neralibus quibusdam attributis. inter se
omnes convenient (*Part. I. C. I. Art. I.*);
differunt tamen , tum proprietatibus
quamplurimis (*Art. II.*), tum diverso ,
quo reperiuntur , statu. (*Art. III.*)

§. 7.

Quin etsi mineralogicæ notiones
(*Part. I. C. I. Art. IV.*) Tubi ferrumina-
torii ope ratione (*Part. I. C. II. Art. III.*)
confirmatæ satis essent , quo minera quæ-
libet cognosci , atque in certam classem re-
duci posset ; attamen quum Docimasia non
solum circa mineræ speciem , sed & circa
substantiarum metallicarum proportionem
versetur (§. 2) , huic fini consequendo
aliæ proculdubio operationes requiruntur.

§. 8.

§. 8.

Duplex autem est hujusmodi operationum species : aliæ siquidem universas mineras generatim respiciunt ; aliæ vero in determinato duntaxat mineræ cujusvis statu locum habent. Ac de prima quidem specie hoc Capite agemus, cæteras tractaturi , quum singulas metallicas substancias perpendentes , specialem earum practicam exponemus.

§. 9.

Iam vero Docimasiæ duplex quoque exstat species, quarum prima *Sicca* est, altera *Humida*. Nunc de prima. Quum autem illius vitia , & incommoda observaverimus, turn quidem de altera , ejusque præstantia sermonem faciendi locus erit.

§. 10.

De Docimasia Sicca.

Quandoquidem substantiae metallicæ inæqualiter in mineris exstant distributæ (§. 5) ; inde est , quod plerumque nec omnes

omnes in eadem minera venæ, nec cædem
in diversis locis ex æquo divites sint. Pri-
ma ergo Docimastæ operatio in metalli-
cis substantiis debite cominiscendis verfa-
tur. (*Part. I. C. II. Art. I. §. 3.*)

§. 11.

Ex data igitur minera tres sumantur
æquales portiones; alia nimirum ex divi-
tiori vena; alia ex minus divite; tertia
denique ex pauperissimo loco desumpta,
quod etiam fieri debet, si unica tantum
vena constet minera. Prædictæ tunc per-
misceantur portiones, triturenturque,
ut nempe triturationis commoda (*P. I.
C. II. Art. I. §. 1.*) obtineantur.

§. 12.

Ex ea vero ita præparata mineræ por-
tione duo sumantur, triave centumpon-
dia (*P. I. C. II. Art. III. §. 13.*) in Do-
cimastica Bilance (*Fig. 16*) adcuratis-
sime librata, quæ deinde ustulentur. (*P. I.
C. II. Art. I. §. 4.*)

§. 13.

§. 13.

Ustulatio in Docimasia eadem semper est, quod ad vasa adtinet: at si diversæ considerentur mineræ, varia quoque esse potest.

Docuimus nimirum in *I. Part.* ustulationem eo tendere, ut corpora volatilia, quæ vel fusioni obstant, vel, si eam promoveant, metallicarum tamen substantiarum puritiem vitiant, evolvantur: quamobrem quælibet mineræ portio, postquam triguratione in minutissimas partes divisa fuit, vase quodam ignis actioni subjicenda.

Trituratio hic speciatim requiriatur, ut aucto superficierum numero, volatilia corpora facilius erumpant.

§. 14.

Quum vero mineræ quædam vi fluidorum elasticorum crepitantes huc & illuc metallicas partes disjiciant, quæ, minimæ quamvis, in errorem tamen inducere possent; idcirco, ut huic malo occuratur, in

publi-

sublimatorio vase mineram ustulare oportebit , qua præparatione duo consequuntur:

1. Tentaminis perfectio: servata namque eadem superficie , sufficien-
tique spatio , volatilia corpora heterogena facilissime evolvi , & in superiori vase recipi possunt ; impedita tamen metallicarum particularum dissipatione , quæ alioquin inevitabilis foret.

2. Iustæ mineralisantis substantiæ quantitatis cognitio : quæ qui-
dem obtinetur non ex ponderis inter mineram ustulatam , ac non ustulatam , differentia ; (mi-
nera siquidem ustulata , quum ex parte saltem oxydationem patiatur , majus pondus ex oxyge-
nione acquirere debet ;) sed vero ex corporum , quæ ustulatione avolarunt , & sub interna su-
perioris vasis parte colliguntur , pondere.

Et ea sane ratio est , cur in cuiuslibet
mi-

mineræ tentamine ustulatio , quod ad vas
ustulatorium , eadem semper fit : nec val-
de interfit , exsistet , nec ne cum atmo-
sphærico aere contactus (contra atque
opinatus est Cramerus in Docim. Tom. I ,
p. 29, §. 126) ; caloricum namque verum
est vaporum vehiculum .

§. 15.

Iam vero , quod ad diversas mineras ,
diversa quoque est ustulatio ; cujus qui-
dem rei eæ sunt rationes :

1. Quia pro varia corporum , quæ
evolvenda erunt , quantitate ,
& cum metallicis substantiis ad-
hæsione ac nexu , majori etiam ,
minorive ustulationum numero
subjicienda est minera .

2. Quia pro diverso fusibilitatis , vola-
tilitatisque gradu , quibus tum
metallicæ , tum cæteræ sub-
stantiæ pollent , juste æstiman-
dum est , quinam caloris gradus
adhiberi debeant .

§. 16.

§. 16.

Ustulatio tunc perfecta putabitur, quum minera proprium oxydi sui colorem emiserit. Ast si minera cognita adhuc nobis non fuerit, alia erunt perfectae ustulationis indicia; scilicet, quum nullus sulphuris, arsenicie odor sentiatur, quumque, novo papyraceo obturamento vasi apposito, igneque continuato, nulla tamen obturamento corpora adhaerescant.

§. 17.

Mineræ ustulationem sequitur illius reductio, quæ quidem *Fundentium*, ac *Reductivorum* in Part. I. C. II. Art. II. descriptorum ope perficienda est, quo neinpe promptissima sit exoxydatio. Fundentia tamen ac Reductiva tum qualitate, tum quantitate varia esse oportet. Et, quod ad Fundentia quidem, duo animadvertere est:

I. Non omnes metallicas substantias subiungat eodem fusibilitatis gradu polle-re; ac proinde probe notandum, quemnam tentanda minera gra-dum

dum attingat , quo scilicet vehementiora fundentia , eaque in majori quantitate admoveantur , aut e contrario .

2. Mineræ matricem aut fusibilem , aut refractariam esse posse. (P. L. C. II. Art. II.) Primo in casu minorem fundentis quantitatem applicari oportere , quum & ipsa mineræ matrix fundentis vices agat. Altero , fundentia maxime activa , & in majori quantitate opus esse , quum non solum metallica substantia , sed matrix etiam fundenda sit.

Quod vero ad Reductiva adtinet , duo etiam probe perpendenda sunt :

1. Diversus metalli oxydationis gradus ;
2. Maior minorve ipsum exoxydandi difficultas.

§. 18.

Diximus hucusque , quomodo per por-

tio-

tiones commiscenda minera (§. 11); quænam quantitas in tentamen assumenta (§. 12); qua ratione ustulanda, attenta nimirum mineræ, mineralisantium, matricisque natura (§. 13, 14, 15); quando-nam ustulatio perfecta habenda sit (§. 16); & quænam Reductiva, ac Fundentia adhibenda pro varia mineræ, matricisque substantia (§. 17). Nunc ergo, qua arte tentamen perficiatur, exponendum est.

§. 19.

Sumatur quædam mineræ portio (§. 12), eaque ustulata cum alkalinis, neutralsve salibus misceatur, & cum albo aut nigro fluxu in ea proportione adhibitis, quæ mineræ statui, ac naturæ conveniens judicabitur. Adjungatur præterea quædam fellis vitri, ac ferri scobis portio, omniaque ita permista in catinum conjiantur, ita tamen, ut semiplenus ipse remaneat. Injiciatur desuper muriatis sode decrepitati quantum materiæ tegendæ sufficiat. Adcurate deinde occludatur catinus, totusque luti humor blando exficitur igne.

Introducatur postea catinus in fornax.

nacem (*Fig. 26*) ; claudatur cinerarii fundus ; aperiaturque portula (n.^o 2). Altera tum portula (n.^o 5) tantum carbonis iniciatur , donec catinum operiat; accensoque igne ita temperetur ejus calor , ut catinus sensim incandescat. Carbone denique repleatur fornax , clausaque porta (n.^o 2), aperiatur cinerarius , & porta (n.^o 1), ut nimirum perfecta obtineatur fusio.

Continuato igne per illud temporis , quod perfectæ fusioni obtainendæ requiri-
tur , catinus e fornace extrahatur , per-
pendicularique situ servetur : levibus de-
inde iictibus feriantur ejus latera : tum
vero frigescat : ac tandem infringatur.

Scholion.

Mineram cum salibus , fluxibus , ac
vitri felle permiscemus :

Quum enim minera exoxydanda , ac
fundenda sit , Reductiva profe-
cto , Fundentiaque requiruntur.
Fel autem vitri mutuam cum
fluxibus ad minerae fusionem
operam confert.

Ad-

Adjungitur ferri scobis pauca quantitas :

Enim vero mineræ, præsertim pyriticosæ, eam cum sulphure adfinitatem habent, ut, vel ustulatione peracta, sulphuris adhuc particulæ mineræ adhærentes remaneant. Quum ergo sulphur universis fere metallicis substantiis adhæreat (*Part. I. C. I. Art. II. §. 7. VIII.*), sive cum fluxuum alkalinis copulatum sulphuris hepar, quod universas metallicas substancias dissolvit (*§. 7. IX.*), efformare possit; idcirco ferrum adhibetur, ut totum omnino sulphur absorbeat.

Catinus semiplenus remanere debet :

Ut nimirum, si corpora ibi contenta effervescentia rarefiant, attamen luta minime rumpantur.

Desuper deinde injicitur sodæ murias :

Quo nempe aeris contactus, & cum

cum eo operationis vitium, per-
turbatioque vitetur.

Adhibentur fluxus jam efformati ;
murias sodæ decrepitatum ; exsiccatur
que præterea catinus, antequam in for-
nacem mittatur :

Idque, quo minus detonatione, quæ
fluxuum formationē comitari
solet, vas rumpatur ; quod etiam
incommode, tum ex aqua mu-
riatis sodæ, tum ex luti humo-
re in vapores resoluti, provenire
consequatur.

Mitior primum adhibetur ignis :

Ut nempe vas operationis vim suf-
fere possit.

Catinus e fornace eductus perpendicu-
lariter servatur :

Quo scilicet proprius unicuique
substantiæ ibi contentæ locus
idem, immutabilisque perma-
neat.

Levibus iictibus catini latera feriuntur :

K

Uc

Ut minimæ quædam metallicæ particulae, quæ adhuc fluidis scoriis immixtæ manent, eo motu agitatae, majori sua specifica gravitate ad fundum vasis descendunt, ibique coacerventur.

Catinus tandem frigescere debet; posteaque confringi:

Ut nimirum regulum omnino compactum, scoriisque penitus separata supra paratis, obtineatur.

§. 20.

Fracto catino, si regulum asperum & cavernosum apparuerit, scoriæque spongiosæ, ac metallicis globulis refertæ, iteranda erit operatio, qutum tentaminis finem nondum fuerimus assequuti. Tumque folium processus perfectus putabitur, quum scoriæ apprime fuerint compactæ, globulisque metallicus superficiem exhibuerit perpolitam, convexam, nativoque fulgore & colore præditam.

§. 21.

§. 21.

Docuimus (§. 19) qua methodo tentandæ sint eæ mineræ , quarum reductio difficultima habetur. Quum autem agentium vim ac virtutem explicaverimus (ejusdem §. 19 Scholio) ; facile inde erit intelligere , quænam in aliis mincris omittenda , prout nimirum major minorve fuerit in iis tentandis difficultas.

§. 22.

Nunc vero , ut totius operationis finem consequamur , adnotare primum oportet duplicem illum esse (§. 2) ; nimirum substantiæ , substancialiumve metallicarum , quæ mineris continentur , 1. speciem , 2. proportionem cognoscere.

A... Et quoad speciem , si minera quidem unicam metallicam substantiam contineat , facilime ea cognoscetur; metallum enim vero , aut semimetallum feso liquido observatori patefacit.

B... Quod autem ad proportionem ad-

tinet ; regulum in primis ex operatione obtentum in bilance (*Fig. 16*) librare oportet : dein vero illius pondus cum ponderare ad tentamen assumpto (*§. 12*) comparare ; indeque sequentem instituere proportionem

Figatum centumpondium est ad illud verum , ut prioris productum ad productum alterius.

Hinc vero juste aestimabitur , quantum utilitatis ex magnis circa mineram susceptis laboribus capere liceat.

§. 23.

Ex iis , quæ circa processum via sicca institutum dicta hucusque sunt , illud cum Bergmanno colligendum est : tria nimirum in Docimasia sicca omnino requiri , quod si vel unum desit , imperfectum erit , vitiosumque tentamen.

1.^o *Enim quælibet five metalli , five semimetalli portio adcuratissime exoxydari debet , huncque statum servare.*

2.^o

2.^o Perfecta requiritur omnium substantiarum fusio.

3.^o Ne una quidem metallicæ substantiæ atomus remanere debet, quin ad fundum vasis descendat.

A... Ac prioris quidem requisitæ conditionis ea ratio est: quod sine exoxydatione regulus obtineri non possit; at si obtentus quidem iterum oxydetur, tunc vero jacturam patiatur.

Iam vero, qui via sicca adhibentur fluxus, naturam habent salinam, ac proinde metallicam substantiam aliquantum pertinent, quod experientia patet, quum scorriæ oxydorum colore tinctoriae appareant. Fieri ergo potest, ut quædam metallicæ particulæ aut omnino non exoxydentur; aut, si id quidem, oxydationem iterum patientur, quod sane tentaminis perfectioni aduersatur.

B... Aliud quoque requisitum plane necessarium est. Enim vero processus tunc solum perfectus putatur, quum regulus splendens, con-

convexus , ac superficie æquali admodum , scoriæ vero compa-ctæ apparent (§. 20). Iam vero tum ad harum vitrificationem , tum ad illius reductionem per-fecta omnino requiritur fusio.

Hæc autem ut via sicca obtineatur , aeris contactum penitus vitare oportet (Schol. §. 19) ; proindeque processum clausis vasis perficere (§. 19). Quo fit , ut caloris gradus adcurate metiri non pos-simus. Inde autem facile continget , ut majori minorive , quam oportet , calore adhibito , regulus minuatur , neque tu-tum circa mineram judicium ferre pos-simus.

C . . . Tertium tandem requisitum nihilo minus necessarium est. Nam fluida corpora heterogenea , di-versa densitate prædita , pro-prium sibi locum gravitate sua petunt ; ac proinde metallicæ substancialæ , quum sint gravi-ores , ad fundum vasis descen-dent. Iam vero quandoquidem reguli ac mineræ pondera sunt in-

inter se comparanda (§. 22) ; requiritur profecto , ut nulla, vel minutissima metallica particula a toto separata remaneat ; hinc enim pendet justa mineræ aestimatio.

At via sicca ea de re certi esse non possumus : minimæ siquidem metalli particulæ , quæ fluidæ , ac tenaci scoriarum massæ quasi immersæ agitantur ; non omnes attritum , quem ibi patiuntur , superare , reguloque adjungi possunt.

§. 24.

Aliud tandem adhuc incommodum via sicca secum fert. Nimirum ; et si metallicæ substantiae fusæ majori sua gravitate fundum vasis petant ; attamen si non unius solum , sed diversarum specierum eæ sint , inter se uniuntur , mitionemque efforment (P. I. C. I. Art. II. §. 7. XVI.). Quin ergo metallicæ mineræ duas , tres , quatuor , pluresve diversas metallicas substantias plerumque contineant ; ex iis profecto exoxydatis (si in eo sint statu) ac fusis aliæ aliis adhærebunt , sed permistæ quidem , ita ut non plane , ac dilucide , omni-

omnique dubio procul se se observatori prodant.

Et ea quidem sunt, quæ viam sicciam comitantur, incommoda: quæ omnia, aut saltem maxima ex parte si via humida vitentur, ea profecto & securior, & adcuration habenda erit.

§. 25.

De Docimasia Humida.

Substantiæ metallicæ in triplici tantum statu reperiuntur (*P.I.C. I. Art. III.*) nimirum;

1. Nativo,
2. Mineralisato,
3. Salino.

A.--- Quæ ad priorem statum pertinent, dupliciter sese produnt:

1. Heterogeneis corporibus permixtæ;
2. Matrici coagmentatae.

Primo in casu præsto nobis est simplissima lotionis operatio. (*P.I.C. II. Art. I.*
§. 2.)

Al-

Altero autem , probe perpendendum est matricem ne , an substantiam ipsam metallicam solvere oporteat , quænamque menstrua ad id adhibenda sint.

B. --- Si metallicæ substantiæ in statu mineralisato reperiantur , tunc profecto tentaminis finem via humida consequemur ; qua non solum ipsasmet substantias ab iis , quæ metallicæ non sunt ; sed etiam alias ab aliis faciliter segregabimus.

Novimus enim vero (ex *Lematib.*) quænam fint menstrua unicuique substantiæ propria : pariterque nobis notum esse potest (*Lem.* 36), quænam corpora iis præcipitandis apta sint. (a)

C. -- Eademmet theoria in eas transferri potest substantias , quæ statu salino fuerint repertæ.

§. 26.

(a) In iis mineris , in quibus sulphur acidorum actioni in metallicas substantias oblistit , ustulatio præmittenda est.

§. 26.

Præcipitorum ope duo nobis innotescunt, quæ tentaminis objectum constituant: scilicet substantiarum metallicarum

1. Species,

2. Proportio.

Præcipitata enim vero in triplici forma obtineri possunt: nimirum

1. in statu Reguli,

2. - - - Oxydi,

3. - - - Combinationis.

A. - - - Primo in casu ex characteribus classim; inde vero speciem cognoscemus.

Ex obtenti autem ponderis comparatione cum eo quod sumpsimus, substantiarum Proportio eruenda erit (§. 22).

B. - - - Altero, ac tertio casu ex proprietatibus, quas in præcipitatis notabimus, Species nobis innotescet.

Quum-

Quumque (ex *Lematib.*) noverimus , quantum ponderis iis præcipitatis accedat , quæ determinatis præcipitantibus obtinentur , hujus excessus subtractione facta , cum eo , quod ponderis residuum fuerit , eamdemmet comparationem (§. 22) instituemus , e qua tandem quæsita eruitur *Proportio. (a)*

§. 27.

Præparationes Docimasiæ humidæ tentaminibus præmittendæ , eæ sunt:

1. Mineræ in tenuissimum pulvrem modum frumentorum trituratione ac levigatione reducendæ.
2. Præcipitationes nonnisi vi treis vasis faciendæ , eaque cūra , ut nihil in dissolutione residuum præcipitantis defectu remaneat.
3. Præcipitantia non immoderante

(a) In iis oxydis , in quibus ponderis accessio nondum determinata est , in iisve substantiis , circa quas ejusmodi experimenta adhuc non habentur , exoxydationem via sicca tentabimus.

te adhibenda: ne scilicet idem-
met præcipitatum iterum dif-
solvatur.

4. Dissolventia pura fint: nec
ullus aquæ, nisi distillatae, usus
faciendus.

5. In quolibet tentamine filtri
pondus omnino examinandum:
ut, quum præcipitata librave-
rimus, illius fiat subtractio.

§. 28.

Jam vero ex Docimasiæ humidæ pro-
cessu manifesto conficitur, ipsam viæ sic-
cæ omnino anteferendam: tum quia iis,
quæ in Docimasia sicca præcipua haben-
tur (§. 23), nec adcurate obtineri pos-
sunt, plane satisfacit; tum quia incom-
modum (§. 24) notatum, melius via hu-
mida, quam sicca vitari potest. Nimirum,
quædam alia requisita, si tentamen via
humida instituatur, necessaria non sunt;
alia vero, et si necessaria, faciliori quam via
sicca negotio obtinentur.

C A P.

C A P. II.

De substantiarum metallicarum analysi.

GENERALES siccae humidæque Documentisæ leges hucusque statuimus: illud nunc superest, ut doceamus, qua methodo cujuslibet metallicarum substantiarum species, secundum classificationem (P. I. C. I. Art. IIII.) descriptam, ad practicam analysim reducatur. In ea autem instituenda, viam humidam, quam adcuratorem demonstravimus, ubicunque commodum fuerit, sequemur.

A R T. I.

De nobilium metallorum analysi.

§. I.

A V R V M.

AVRVM duplici { 1. Nativo,
in statu reperitur: { 2. Mineralisato.

*Statu Nativo.**Species I.* duas varietates complectitur.

Va-

Varietas I. aurum continet terreis
particulis disseminatum.

Duobus autem modis ad analysim re-
ducitur:

1. Lotione, (*P. I. C. II. Art. I.
§. 2.*)
2. Amalgamatione.

Sumantur decem partes mineræ, una-
que hydrargyri. Misceantur: et simul cum
aqua in vas ferreum, aut terreum infun-
dantur. Ebullitionis calori deinde aliquan-
diu exponantur: lotione tandem mixtum
obtinebimus ex auro, & hydrargyro com-
positum: hæc autem duo distillatione se-
parabimus.

Variet. II. Autum matrix co-
agmentatum.

Duplici iterum modo ad analysim re-
ducitur.

1. Acidorum ope.

Et matrix quidem primum in examen
adduci debet. Quæ si calcarea fuerit, aci-
do nitrico dissolvatur; quo nempe aurum
relinquetur, purumque præcipitetur.

Si

Si vero matrix filiciosa fuerit, quum acidis non referetur, aurum quidem acido nitro-muriatico dissolvendum, ac ferrī sulphate præcipitandum: habebitur autem præcipitati gr. 100 = 100 reguli (*Lem. 38*).

2. Trituratione; lapidum, quibus metallum non continetur, ejectione; lotione tandem; atque amalgamatione (ut *Variet. I.*)

Statu Mineralifato.

Species II. Aurum, ferrum, sulphur.

Sulphur in primis extrahatur. Quod ut recte fiat, adhiberi debet acidum nitricum dilutum. Quum autem hoc acido ferrum tantummodo solvatur; obtinebis aurum præcipitatum; sulphur vero superficie innatabit.

Extrahatur ergo sulphur: coletur solutione: aurumque habebitur.

In dissolutione ferrum duntaxat continentur: adhibetur soda: habebitur ferrum præcipitatum. Dis-

Dissolvatur præcipitatum acido muriatico, caloris ope: præcipitetur carbonate sodæ: habebitur oxydi ferri gr. 225 = 100 reguli. (*Lem. 41.*)

Species III. Aurum, ferrum, sulphur, arsenicum.

Trituretur minera: ustuletur deinde; quo mineralisantia extrahantur. Adhibetur acidum nitro-muriaticum; quod quidem aurum duntaxat solvit. Percoletur solutio: adhibetur deinde ferri sulphas: habebiturque auri præcipitati 100 = 100 reguli. (*Spec. I.*)

In filtro ferrum remansit: solvatur ergo acido muriatico, præcipiteturque, ut *Spec. II.*

Spec. IV. Aurum, argentum, ferrum, plumbum, magnesium, sulphur.

Extrahatur sulphur acidi nitrici ope, ut *Spec. II.*; quo quidem non autum solvit, sed vero cætera quæ in minera contineantur (ex *Lematib.*). Habebitur ergo aurum præcipitatum, cæteris metallicis substantiis solutis. Flui-

Fluidum e vase decantatione emittatur:
 Solutio argentum continet, ferrum,
 plumbum, ac magnesium.

Adhibeatur cupri lamina dati pond-
 ris: habebitur argentum præcipitatum
 (*Lem. 54*), eruntque præcipitati $100 = 100$
 reguli.

Percoletur solutio: eique adhibeatur
 acidum muriaticum: habebitur murias
 plumbi præcipitatum.

Exoxydetur via sicca (*Cap. I.*), cui
 fini murias plumbi cum duplo potassæ,
 & aliquanto picis fundatur: obtinebitur
 tunc regulus plumbi, cuius pondus pro-
 portionem determinabit.

In solutione ergo nihil amplius rema-
 net præter ferrum, magnesium, eamque
 cupri portionem, quæ ex lamina argen-
 tum præcipitante provenit.

Adhibeatur ferri lamina altera: habe-
 bitur cuprum.

In vapores abeat solutio ad siccitatem usque : adhibetur deinde acidum acetosum : quod quum magnesium solvat tantummodo; habebitur profecto ferrum præcipitatum.

Percoletur solutio ; in vaporesque ad siccitatem usque abeat : habebitur magnesium : quod iterum acido nitrico , caloris ope , solvatur ; carbonateque sodæ præcipitetur ; habebitur magnesium præcipitatum ; eruntque oxydi 180 \equiv 100 reguli. (Lem. 49.)

Ferrum in filtro residuum acido muriatico solvatur ; sodæque carbonate præcipitetur (Spec. II) : habebitur oxydi 225 \equiv 100 — a reguli. (Lem. 41.)

Species V. Aurum , hydrargyrum , sulphur.

Trituretur minera , ustuleeturque : tum vero aurum purum residuum erit.

Species VI. Aurum , cuprum , ferrum , magnesium , sulphur.

Quomodo hujus mineræ instituenda sit
ana-

analysis, ex eo intelligi potest, quod supra (*Spec. IV.*) diximus. Unum duntaxat existat discriminem, quod in solutione cuprum habere debeamus: id autem ferreæ laminæ ope obtinebimus.

Species VII. Aurum, ferrum, zincum, cobaltum, sulphur.

Adhibetur mineræ acidum nitricum dilutum: tum vero sulphur separatur: cæteræ vero substantiæ, si aurum excipias, dissolvuntur.

E solutione extrahatur aurum, ut *Spec. II.*

Solutio deinde mitioris ignis ope in vapores abeat, donec exsicetur: habebitur compositum quoddam ex ferro, zinco, & cobalto.

Si ammoniacum adjungamus, cobaltum duntaxat habebimus solutum. Percoletur ergo solutio; adhibetur acidum aliquod; habebimus cobaltum præcipitatum.

Id vero iterum acido nitrico solvatur caloris ope: præcipitetur soda: habebimus oxydi cobalti $140 = 100$ reguli. (*Lem. 48.*)

Residuum, quod ammoniaci actioni obstitit, ex ferro & zinco compositum, acido muriatico caloris ope solvendum: tunc vero ferrum lamina zinci cogniti ponderis præcipitandum: habebiturque præcipitati ferri $100 = 100$ reguli.

Separato ferro; dissolvatur iterum zincum acido nitrico; adhibetur solutioni soda: habebitur zincum præcipitatum: oxydique $161 = 100$ — a reguli. (Lem. 45.)

§. II.

PLATINVM.

PLATINVM reperitur duntaxat statu Nativo.

Species unica. Quinque varietates complectitur.

Variet. I. Platinum, aurumque.

Acidum nitro-muriaticum platinum, aurumque solvit. (Lem. 18, 19.) At ferri sulphas ejusmodi solutionis aurum præcipitat, minime vero platinum: muriasque

ammoniacale e contrario platinum, non aurum præcipitat.

Ergo trituranda minera, acido nitro-muriatico solvenda : adhibendum deinde ferri sulphas, aurumque habebitur. (§. I.)

Coletur solutio : adhibetur murias ammoniacale : habebitur platinum in statu non admodum cognito, falso nempe tripli.

Separetur præcipitatum : exoxydetur via sicca ; fluxu nimirum vitro, octo partibus vitri, una boracis, dimidiaque carbonis composito, cuius proportio erit ad mineram ut 3 : 1. Habebitur regulus platini ; ejusque quantitas facili negotio determinabitur. (P.II. Sez. I. C. I. §. 22.)

Variet. II. Platinum, ferrum.

Duae isthaec substantiae, ut intima coniunctione copulantur, ita difficillime separari possunt. Itaque

Ad tenuissimum usque pulverem trituret minera : adhibetur acidum nitricum : habebitur ferrum solutum, platinum vero præcipitatum. De-

Decantetur solutio: adjungaturque præcipitato plus acidi nitrici, itereturque processus, donec totum extrahatur ferrum.

Ultimum præcipitatum platinum dabit: at vero, ut de illius sinceritate certi reddamur,

Acido nitro-muriatico solvendum: præcipitandum deinde muriate ammoniacali: ac tandem via sicca exoxydandum. (*Variet. I.*)

Ferrum ex solutionibus proveniens soda præcipitetur: præcipitatum vero iterum acido muriatico solvatur; ac denique carbonate sodæ præcipitetur: habebitur oxydi 225 = 100 reguli. (*§. I. Spec. II.*)

Variet. III. Platinum, hydrargyrum.

Trituretur: vehementiori igni exposatur: hydrargyrum tunc separatur: platinumque purum remanet,

Variet. IV. Platinum terris admistum.

Trituretur: acidum nitricum adhibetur: habebimus terras solutas, platinum vero præcipitatum. Si

Si vero terræ solvi non possint ; tunc
Minera acido nitro-muriatico solva-
tur : muriate ammoniacali præcipitetur :
exoxydeturque via sicca. (*Variet. I.*)

Variet. V. Platinum omnibus, aut
quibusdam ex substan-
tiis, quæ præcedentes
varietates constituunt,
admixtum.

Hujus varietatis analysis ex iis, quæ
pro cæteris hucusque diximus, facillime
instituetur.

§. III.

A R G E N T U M.

ARGENTUM triplici
in statu se se prodit: { 1. *Nativo*,
2. *Mineralisato*,
3. *Salino*.

Statu Nativo.

Species I. argentum con-
tinere potest { 1. *Lapidibus*,
coagenta- 2. *Terris*,
tum : 3. *Substantiis*
metallicis.

Et

Et primo quidem casu argentum obtinebimus, si lapides primum trituratione, lotioneque extrahamus. Si autem de argenti puritate adhuc subdubitaverimus; tunc

Minera acido nitrico dissolvatur: præcipiteturque acido muriatico: obtinetur muriatis argenti 133 \equiv 100 reguli.
(*Lem. 39.*)

Si vero acidi muriatici loco, laminam cupream adhibuerimus, argentum formam prædictum metallica obtinebimus.

Altero casu lotione duntaxat argentum aequemur.

Tertio denique casu, quum experientia constet, non alias substantias metallicas nativo argento conjunctas esse solere, nisi aurum, cuprum, ferrum, stibiumque: idcirco

Acidum nitricum dilutum mineræ infundatur: quo fieri, ut aurum, stibiumque, quum solvi non possint, præcipitentur.

Percoletur solutio: habebitur in filtro
aurum

aurum, atque stibium : in solutioneque argentum, cuprum, ferrum.

Præcipitetur cuprum laminæ ferreæ cogniti ponderis ope : habebitur præcipitati gr. 100 = 100 reguli.

Separetur cuprum : residuum erit in solutione argentum, ac ferrum.

Adhibetur acidum muriaticum : habebitur argentum præcipitatum, eruntque muriatis argenti gr. 133 = 100 reguli.

Ferrum soda præcipitetur : iterumque acido muriatico caloris ope dissolvatur, ac sodæ carbonate præcipitetur : erunt oxidii gr. 225 = 100 — a reguli. (Lem. 55.)

Quod in filtro restitit, aurum, stibiumque fuit.

Dissolvantur ergo duæ hæ substantiæ acido nitro-muriatico : præcipitetur stibium aquæ ope : coletur : adhibetur deinde ferri sulphas : habebiturque aurum. (§. I.)

Statu

Solido Statu Mineralisato.

Species II. Argentum , sulphur.

Decoquatur minera acido nitrico diluto , cuius pondus sit ad pondus mineræ :: 20 : 1.

Quum sulphur solvi non possit , superficie innatabit : percolatione ergo separandum.

Solutioni jam percolatae , acidum muriaticum adhibeatur : habebitur muriatis argenti gr. 133 = 100 reguli. (*Spec. I.*)

Species III. Argentum , arsenicum.

Trituretur minera : solvatur acido nitrico : coletur solutio : præcipitetur argentum acido muriatico. (*Spec. I.*)

Spec. IV. Argentum , sulphur , arsenicum.

Adhibeatur acidum nitricum dilutum: quo quidem argentum solvitur , arsenico , sulphureque intactis.

Co-

Coletur deinde solutio : præcipitetur
que argentum acido muriatico. (*Spec. I.*)

Residuum non solutum arsenico , sul-
phureque constat :

Adhibetur ergo acidum nitro-muria-
ticum , quo quidem arsenicum duntaxat
solvitur.

Separetur sulphur : adhibetur in so-
lutione prussias potassæ : habebitur arse-
nicum præcipitatum, oxydique 180 = 100
reguli. (*Lem. 46.*)

Species V. Argentum, ferrum, arsenicum.

Ustuletur minera : solvaturque acido
nitrico diluto. Tum vero præcipitetur ar-
gentum acido muriatico. (*Spec. I.*) Ac
denique coletur solutio , separeturque fer-
rum. (*Spec. I.*)

Species VI. Argentum ; ferrum , sulphur,
arsenicum.

Ustuletur : solvaturque acido nitrico
diluto : quo quidem argentum solvitur, ac
ferrum. Has

Has vero substantias obtinebimus, ut Spec. I.

Si vero quædam sulphuris, arsenicive particulæ restiterint, eæ nimirum ut Spec. IV separari debent.

Species VII. Argentum, cuprum, sulphur, arsenicum.

Trituretur minera: ustuletur: solvaturque acido nitrico diluto: coletur deinde, ut mineralisantium quod forte superfluit extrahatur. Habebiturque argentum, & cuprum solutum.

Præcipitetur argentum laminæ cupreæ ope, eruntque præcipitati $100 = 100$ reguli.

Præcipitetur præterea cuprum ope laminæ ferreæ: habebiturque præcipitati $100 = 100$ — a reguli.

Species VIII. Argentum, cuprum, ferrum, sulphur, arsenicum.

Trituretur: solvatur acido nitrico diluto, cuius pondus sit ad pondus mineræ

2 : 20 : 1 , ebulliatque donec exsicetur.
Tunc vero si acidi nitrici plus adhibeas ,
argentum , cuprumque solvuntur ; rema-
nant vero ferrum , sulphur , arsenicum.

Coletur solutio : adhibeatur lamina cu-
prea : habebitur argentum. (*Spec. VII.*)

Separato argento , adhibeatur carbonas
sodæ : habebitur cuprum præcipitatum ,
oxydique 194 = 100 — a reguli. (*Lem.*
40.)

Ferrum , sulphur , atque arsenicum ,
quæ in filtro fuerunt residua , digerantur
acido muratico : tunc vero ferrum , arse-
nicumque solvuntur , sulphure remanente.

Separetur sulphur : in solutioneque ad-
hibeatur aqua : habebitur arsenicum præ-
cipitatum.

Decantetur solutio : adhibeatur prus-
sias potashæ : habebitur ferrum : eruntque
oxydi 590 = 100 reguli. (*Lem. 41.*)

Quod si scire oporteat quantum arse-
nici aquæ ope præcipitatum fuerit ; tum
vero

Sol-

Solvatur acido nitro-muriatico : præcipitetur prussiate potashæ ; habebiturque oxydi arsenici $180 = 100$ reguli. (*Spec. IV.*)

Species IX. Argentum , zincum , sulphur.

Solvatur acido nitrico diluto : argentum quidem , ac zincum solvuntur : sulphur vero intactum remanet.

Filtretur solutio : separetur sulphur : præcipitetur argentum lamellæ zinci ope : eruntque præcipitati $100 = 100$ reguli.

In solutione zincum duntaxat continetur , tum ex minera , tum ex lamina proveniens.

Adjiciatur soda : habebitur zincum præcipitatum , eruntque oxydi $161 = 100$ — a reguli. (*Lem. 45.*)

Species X. Argentum , cuprum , antimonium , sulphur , arsenicum.

Decoquatur minera acido nitrico diluto ,

to, cuius pondus sit ad pondus mineræ
 $\therefore 6:1.$

Sulphur cum solvi non possit, enatabit sursum: antimonium atque arsenicum præcipitatuntur, quin dissolvantur; argentum vero & cuprum solutionem subibunt.

Separetur sulphur: coletur solutio: præcipiteturque argentum lamina cupri; cuprum vero carbonate sodæ. (*Spec. VIII.*)

In filtro antimonium restitit atque arsenicum.

Oxygenetur ergo acido nitrico: tunc vero antimonium insolubile præcipitatur: ergo antimonii oxygenati $138 = 100$ reguli. (*Lem. 52.*)

Arsenicum in solutione residuum aqua præcipitetur: separetur deinde: dissolvatur iterum acido nitro-muriatico: præcipitetur tandem prussiate potassæ: ergo oxydi $180 = 100$ reguli. (*Spec. VIII.*)

Species XI. Argentum, ferrum, cobaltum, sulphur, arsenicum.

Af-

Affundatur mineræ acidum nitricum dilutum : quo quidem non sulphur nec arsenicum , bene vero cæteræ substantiæ solvuntur.

Colatæ solutioni affundatur acidum muriaticum : habebitur oxydi argenti 133 = 100 reguli. (Spec. I.)

Separetur argentum , evaporeturque solutio quoad usque exsiccatur: tum vero ferrum insolubile eo acido evadit , majori nimurum oxygenatione.

Adhibeatur plus acidi nitrici : quo non ferrum , sed cobaltum quidem solvitur.

Colata solutione habebitur in filtro oxydum ferri , in solutione vero cobaltum : Adjiciatur solutioni soda : habebitur cobaltum præcipitatum , eruntque oxydi 140 = 100 reguli. (Lem. 4.)

Ferrum in filtro residuum acido muriatico caloris ope solvatur : præcipiterur deinde prussiate potassæ : habebuntur oxydi 590 = 100 reguli. (Spec. VIII.)

Spec-

Species XII. Argentum, antimonium, baryta, sulphur.

Dissolvatur minera acido nitrico diluto; quo quidem argentum solvitur, ac baryta; antimonium vero sulphurque separantur.

Coletur solutio: adjiciatur cupri lamina: argentum quidem præcipitabitur: ergo præcipitati 100 = 100 reguli.

Separetur argentum: infundatur solutioni acidum sulphuricum: habebitur spathum ponderosum præcipitatum.

Cuprum e lamina solutum in solutione remanet: antimonium vero ac sulphur solutionem minime subierunt.

Si ergo acidum nitro-muriaticum adfundamus, antimonium solvetur; sulphurque separari poterit.

Percoletur solutio: adhibeatur carbonas sodæ: habebitur antimonium præcipitatum: ergo oxydi 140 = 100 reguli.
(*Lem. 50.*)

M Spe-

Species XIII. Argentum , antimonium , sulphur.

Dissolvatur minera acido nitrico diluto : & argentum quidem solutionem subibit , antimonio sulphureque intactis.

Coletur solutio ; adfundaturque acidum muriaticum : ergo muriatis argenti 133 = 100 reguli. (*Spec. I.*)

Antimonium ac sulphur extrahantur , ut *Spec. XII.*

Adhibetur *Statu Salino.*

Species XIV. Argentum , & oxygenium.

Solvatur acido nitrico , acidoque muriatico præcipitetur. (*Spec. I.*)

Species XV. Argentum , acidumque muraticum.

Adjiciatur plus acidi muriatici ; mineraque statim solutionem subibit : adhibita ergo cupri lamina argentum habebitur ; eruntque præcipitati 100 = 100 reguli.

A R T.

A R T. II.
De metallorum imperfectorum analysi.

§. I.

C V P R V M.

CVPRVM triplici statu se se prodit : { 1. Nativus,
 2. Mineralisatus,
 3. Salinus.

Statu Nativus.

Species I. Cuprum duplicitate continere potest, scilicet { 1. Matrici coagimentatum;
 2. Substantiis metallicis copulatum.

Primo casu : Solvatur acido sulphurico; laminaque ferri præcipitetur: erunt præcipitati 100 = 100 reguli.

Altero casu : Quum experientia notum sit aurum, argentum, ac ferrum eas esse metallicas substantias, quæ nativum cuprum plerumque comitari solent; idcirco

Adfundatur acidum nitricum dilutum, quo, ut diximus, aurum intactum præcipit.

pitatur (*Art. I. §. I.*) : colata ergo solutione , aurum purum habebimus ; cuprum vero , argentum , ac ferrum soluta remanebunt.

Adhibetur solutioni lamella cupri : habebitur argentum , præcipitatique 100 = 100 reguli. (*Art. I. §. III.*)

Extrahatur argentum : decoquatur solutione dote exsicetur : residuumque acido sulphurico iterum solvatur : iniciatur tandem solutioni lamina ferri : habebitur cuprum tum ex minera , tum ex lamina , qua præcipitatum fuit argentum , collectum : ergo cupri præcipitati 100 = 100 — a reguli. (*Lem. 55.*)

In solutione nihil amplius residuum est præter ferrum ex minera , laminaque proveniens.

Adjiciatur carbonas sodæ : habebitur ferrum : eruntque præcipitati 225 = 100 — a reguli. (*Lem. 41.*)

Statu Mineralisato.

Species II. Cuprum , ferrum , sulphur.

Trituretur minera , solvaturque acido ful-

sulphurico , cuius pondus sit ad pondus
mineræ :: 5 : 1: habebitur separatum ful-
phur , cupro , ferroque solutis.

Coletur solutio ; præcipiteturque cu-
prum ferri lamina ; ferrum vero carbo-
nate fodæ. (*Spec. I.*)

Quum autem fieri possit , ut si minera
non admodum dives sit , præcipitatiove
rapida nimis , aut lente fiat , quædam fer-
ri portio cum cupro simul præcipitetur ;
idcirco

Præcipitatum solvatur denuo ; in ea-
que solutione idem instituatur processus :
habebimus profecto cùprum duntaxat ,
idque purum.

Species III. Cuprum , ferrum , sulphur ,
arsenicum.

Trituretur , ustuleeturque minera : cæ-
tera autem ut *Spec. II.*

Species IV. Cuprum , stibium , sulphur ,
arsenicum.

Adhibeatur acidum nitricum dilutum ;
in quo duntaxat cuprum solvitur.

Extrahatur sulphur : coletur solutio :
ha-

habebimus in filtro stibium , & arsenicum ; in solutione vero cuprum.

Solutioni immittatur ferri lamina : habebitur cuprum. (*Spec. I.*)

Residuum vero , stibium scilicet , atque arsenicum , acido nitrico oxygenetur adhuc : habebiturque stibium oxygenatum , eruntque 138 = 100 reguli. (*Lem. 52.*)

Arsenicum aqua præcipitetur : solvaturque iterum acido nitro-muriatico : tum vero prussiate potashæ præcipitetur : erunt oxydi 180 = 100 reguli. (*Art. I. §. III. Spec. X.*)

Species V. Cuprum , ferrum , zincum , sulphur , arsenicum.

Trituretur minera , eique adfundatur acidum nitricum dilutum : quo fit , ut arsenico , sulphureque intactis , cæteræ substantiæ solvantur :

Coletur solutio : habebitur in filtro arsenicum , ac sulphur.

Adjiciatur solutioni ferri lamina : ha-

bebitur cuprum : ergo præcipitati 100 = 100 reguli. (*Spec. I.*)

In solutione residuum est zincum , ac ferrum , tum ex minera , tum ex lamina proveniens.

Decoquatur solutio ad siccitatem usque, adfundaturque plus acidi nitrici : tum vero zincum solvitur , ferro tamen remanente insolubili.

Coletur solutio : sodaque ei immittatur: habebitur zincum: ergo oxydi 161 = 100 reguli. (*Lem. 45.*)

Ferrum oxygenatum acido muriatico caloris ope solvatur ; potassæque prussiate præcipitetur : oxydi ergo 590 = 100 — a reguli. (*Lem. 41.*)

Quod si arsenici sulphuri adhærentis quantitatem scire velimus : tunc vero

Adfundatur acidum muriaticum ; quo quidem , soluto arsenico , sulphur separatur.

Coletur solutio : adhibetur prussias potassæ : habebitur arsenicum : ergo oxydi 180 = 100 reguli. (*Art. I. §. III. Spec. IV.*) Sta.

Statu Salino.

Species VI. Cuprum, & acidum carbonicum.

Solvatur acido sulphurico : laminaque ferrea præcipitetur : ergo præcipitati $100 = 100$ reguli.

Si vero in ea minera quædam exstiterit ferri portio ;

Coletur solutio : eique immittatur carbonas sodæ : habebitur ferrum : oxydi ergo $225 = 100 - a$ reguli. (*Spec. I.*)

Species VII. Cuprum, acidumque sulphuricum.

Solvatur aqua calida : præcipiteturque ferri lamina : præcipitati ergo $100 = 100$ reguli. (*Spec. VI.*)

Species VIII. Cuprum, acidumque muraticum.

Calidâ solvatur minera ; sodaque præcipitetur. Tum vero præcipitatum acido

ni-

nitrico iterum solvatur : immittaturque solutioni sodæ carbonas : habebitur cuprum : oxydi ergo 194 = 100 reguli.
(Lemm. 40.)

§. II.

F E R R U M .

TRIPLEX in statu reperitur ferrum :

1. Nativo,	}	2. Mineralisato,
3. Salino.		

Statu Nativo.

Species I. Ferrum continet immistum

1. Matrici,	}	2. Ferri oxydo.

Solvatur acido muriatico ; zincique lamina præcipitetur : ergo habebitur præcipitati 100 = 100 reguli.

Si matrix solvi nequeat ; coletur solutio, antequam præcipitatio fiat.

Si matrix vero solubilis fuerit ; in solutione remanebit, nec zincus præcipitabitur.

Sia-

Statu Mineralisato.

Species II. Ferrum, ac sulphur.

Ustuletur : solvaturque acido mu-
riatico ; ac soda tandem præcipitetur :
oxydi ergo 170 = 100 reguli. (*Lem. 41.*)

Species III. Ferrum, & arsenicum.

Ustuletur : solvatur , ac præcipitetur ,
ut *Spec. II.*

*Species IV. Ferrum, sulphur, arseni-
cum.*

Ustuletur: cæteraque fiant, ut *Spec. II.*

Statu Salino.

*Species V. Ferrum, acidumque carboni-
cum.*

*Variet. I. Ferrum, acidum carboni-
cum, magnesium.*

Oxygenetur minera acido nitrico ;
decoquaturque , donec exsicetur : habe-
bitur compositum ex ferro , ac magnesio
oxygenato. Iam

Iam vero, si huic residuo acidum acetosum adfundatur, magnesium duntaxat solvetur: solutionis ergo colatione, & evaporatione magnesium separatum habebitur.

Id vero iterum acido nitrico caloris ope solvatur; sodæque carbonate præcipitetur; erunt ergo oxydi magnesii 180 = 100 reguli. (*Art. I. §. I. Spec. IV.*)

Ferrum oxygenatum iterum acido muriatico caloris ope solvatur: carbonate sodæ præcipitetur: ergo oxydi 225 = 100 reguli. (*Art. I. §. I. Spec. II.*)

Variet. II. Ferrum, & carbonas calcareus.

Solvatur acido muriatico: adjiciatur acidum sulphuricum: habebitur sulphas calcis (*selenites*) præcipitatus.

Percoletur: habebitur in solutione ferrum duntaxat, quod quidem carbonate sodæ præcipitabitur. (*Variet. I.*)

Variet. III. Ferrum, & argilla.

Solvatur acido sulphurico: injiciatur la-

lamina zinci : habebitur ferrum : ergo
præcipitati 100 = 100 reguli.

In solutione restabit argilla, nec non
zincum, quod lamina dimisit.

Variet. IV. Ferrum, filex.

Adhibetur acidum muriaticum : fer-
rumque solvetur, filice præcipitato.

Coletur solutio : præcipiteturque fer-
rum per sodæ carbonatem. (*Var. I.*)

*Species VI. Ferrum, acidumque sulphuri-
cum.*

Affundatur aqua calida : solvetur pro-
fecto minera. Adhibetur soda : habebitur
ferrum : oxydi ergo 170 = 100 reguli.
(*Lem. 41.*)

*Species VII. Ferrum, & acidum prussi-
cum,*

Ustulata minera, acidum prussicum
decomponitur, oxydo ferri remanente.

*Id vero acido muriatico solvatur, aut
ful-*

fulphurico : ac deinde soda præcipitetur.
(*Spec. VI.*)

Species VIII. Ferrum , acidumque phosphoricum.

Solvatur acido sulphurico , præcipiturque soda. (*Spec. VII.*)

Species VIII. Ferrum , & carbonicum.

Solvatur acido muriatico : præcipiturque sodæ carbonate : ergo oxydi $\frac{225}{100}$ reguli. (*Spec. V. Var. I.*)

§. III.

S T A N N V M .

S T A N N V M triplici in $\begin{cases} 1. \text{ Nativo,} \\ 2. \text{ Mineralisato,} \\ 3. \text{ Salino.} \end{cases}$ statu se se prodit :

Statu Nativo.

Species I. Stannum continet coagmen- $\begin{cases} 1. \text{ Matrici,} \\ 2. \text{ Substantiis metallicis.} \end{cases}$ tatum

Si primum ; trituretur : lavetur ; solvaturque acido nitro-muriatico ; præcipitate-

teturque tandem carbonate sodæ : habebitur ergo oxydi $131 = 100$ reguli. (*Lem. 42.*)

Si secundum ; quum ferrum & cuprum ea sint metalla , quæ nativum stannum plerumque comitari solent : idcirco

Acidum nitricum adhibeatur : quo ferrum , cuprumque solvuntur , stannum vero oxygenatum præcipitatur.

*Percoletur solutio : habebitur in filtro stannum oxygenatum : ergo $140 = 100$ reguli. (*Lem. 53.*)*

In solutione cuprum ac ferrum restat.

Adjiciatur ferri lamina : habebitur cuprum : ergo præcipitati $100 = 100$ reguli.

*Ferrum præcipitetur soda : iterum acidum muriatico solvatur ; ac sodæ carbonate præcipitetur : erunt oxydi $225 = 100$ — a reguli. (*Art. II. §. II. Spec. V. Var. I.*)*

Statu Mineralisato.

Species II. Stannum , ac sulphur.

Separetur e matrice trituratione , ac lo-

lotione : in tenuissimum deinde pulverem usque contundatur : aliquotque tandem horarum spatio vehementiori igne concoquatur acido sulphurico : tum vero , postquam frigefacta fuerit , adfundatur acidum muriaticum ; duabusque horis elapsis , adhibeatur aqua .

Separato sulphure , quum limpida apparuerit solutio , decantetur ; ac sodæ carbonate præcipitetur : habebitur stannum : ergo oxydi 131 = 100 reguli . (Lem. 42.)

Statu Salino.

Species III. Stannum , acidumque carbonicum.

Hujus mineræ analysis eodem modo instituenda , atque *Spec. II.*

§. IV.

P L V M B V M .

P L V M B V M duplice { 1. Mineralisato ,
statu se se prodit : { 2. Salino .

Statu

Statu Mineralisato.

Species II. Plumbum continet, argentum, ferrum, ac sulphur.

Adfundatur acidum nitricum dilutum : matrix, quæ insolubilis est, præcipitabitur : sulphur separabitur ; plumbum vero, argentum, ferrumque solventur.

Per colum trajiciatur solutio : injiciatur cupri lamina : habebitur argentum : ergo præcipitati 100 = 100 reguli.

Extracto argento injiciatur ferri lamina : habebitur cuprum a lamina dimisum.

In solutione ergo non nisi plumbum restat, ac ferrum.

Decoquatur itaque ipsamet solutio iterum ac sæpius (pro ferri statu), donec exsiccatur : habebuntur pro residuo duo oxyda ; aliud nimirum ferri acido nitrico insoluble ; aliud vero plumbi, quod in eodem acido solvi potest.

Si ergo acidum nitricum adhibeatur ; solvetur duntaxat plumbi oxydum.

Co-

Coletur solutio; injiciaturque sodæ carbonas: habebitur plumbum: ergo oxydi 132 = 100 reguli. (*Lem. 43.*)

Ferri oxydum acido muriatico solvatur, præcipiteturque, ut *Art. II. §. II. Spec. V. Var. I.*

Species III. Plumbum, argentum, antimonium, sulphur.

Adhibetur acidum nitricum dilutum: habebitur sulphur insolutum, ac supernatans; antimonium præcipitatum; plumbum, argentumque soluta.

Solutione per filtrum transmissa separetur sulphur:

Argentum cupro præcipitetur: cuprum autem ferro. Ut vero plumbum a ferro, quod lamina cuprum præcipitans amisit, separetur; instituendus processus, ut *Spec. II.*

Antimonium in filtro residuum oxygenetur acido nitrico concentrato, caloris ope adjecto: habebitur ergo antimonii

N oxyge-

oxygenati 138 = 100 reguli. (*Lem. 52.*)

Species IV. **Plumbum**, sulphur, arsenicu-
mum.

Adhibeatur acidum nitricum dilutum;
habebitur sulphur separatum; arsenicum
præcipitatum; plumbum vero solutum.

Separetur sulphur: percoleturque so-
lutio.

Adhibeatur solutioni sodæ carbonas:
habebitur plumbum: ergo oxydi 132 =
100 reguli. (*Spec. II.*)

Arsenicum in filtro residuum acido ni-
tro-muriatico solvatur; ac prussiate potas-
fæ præcipitetur: oxydi ergo 180 = 100 re-
guli. (*Art. II. §. I. Spec. V.*)

Statu Salino.

Species V. **Plumbum**, & acidum carbo-
nicum.

Extrahantur primum lapides ac terræ
trituratione, ac lotione: deinde solvatur
minera acido nitrico; sodæque carbonate
præcipitetur. (*Spec. IV.*)

Species

Species VI. Plumbum , & acidum sulphuricum.

Solvatur aqua ferventi : sodaque præcipitetur : tum vero solvatur iterum acido nitrico : præcipitetur tandem sodæ carbonatæ. (*Spec. IV.*)

Species VII. Plumbum , & acidum phosphoricum.

Solvatur acido nitrico caloris ope ; acidoque sulphurico præcipitetur : ergo habebitur sulphatis plumbi $143 = 100$ reguli. (*Lem. 43.*)

A R T. III.

De semimetallorum tenacium , durorumque analysi.

§. I.

N I C C O L V M .

NICCOLVM tripli in statu adinvenitur ;

1. Nativo,	}
2. Mineralisato ,	
3. Salino.	

N 2

Statu

Statu Nativo.

Species I. Nicolum dupliciter continere potest; nimirum

1. Matrici,
2. Substantiis
metallicis
immistum.

Si primum; trituretur minera: laveretur: solvatur acido nitrico; sodaque præcipitetur. Erunt oxydi niccoli $128 = 100$ reguli. (*Lem. 44.*)

Si vero & matrix solubilis fuerit, præcipitetur nicolum zinco: ergo præcipitati $100 = 100$ reguli.

Si secundum; quum substantiæ metallicæ, quæ niccolo nativo copulatae inveniuntur, sint argentum, ferrum, wismuthum, & cobaltum; idcirco

Acidum nitricum dilutum adhibendum, cuius nimirum ope prædictarum omnium substantiarum habebitur solutio.

Adfundatur aqua: hebebitur wismuthum: ergo oxydi $113 = 100$ reguli. (*Lem. 47.*)

Adhi-

Adhibetur acidum muriaticum : habebitur muriatis argenti 133 = 100 reguli. (*Art. I. §. III.*)

Evaporet solutio ad siccitatem usque : adhibetur ammoniaca : habebitur cobaltum solutum.

Decantetur solutio : præcipitetur cobaltum cujuslibet acidi ope : solvatur iterum acido nitrico , sodaque præcipitetur : ergo oxydi 140 = 100 reguli. (*Art. I. §. I. Spéc. VII.*)

Residua erunt duntaxat nicolum , ac ferrum.

Ebulliat iterum acido nitrico : tunc vero nicolum in solutione remanebit , ferro ob maiorem oxygenationem præcipitato.

Solutioni per filtrum transmissæ adjiciatur soda : ergo oxydi niccoli 128 = 100 reguli. (1.º cas.)

Qua autem ratione ferri oxygenati quantitas determinari possit , supra jam indicavimus.

Statu

Statu Mineralisato.

Species II. Nicolum, ferrum, cobaltum, sulphur, & arsenicum.

Ustuletur, ut nempe mineralisantia extrahantur. Cæteras vero substantias obtinebimus, æstimabimusque, ut *Spec. I.*

Statu Salino.

Species III. Nicolum, & acidum carbonicum.

Solvatur acido nitrico, sodaque præcipitetur: ergo oxydi 128 = 100 reguli.
(*Spec. I.*)

Species IV. Nicolum, & acidum sulphuricum.

Adfundatur acidum sulphuricum, donec perfecta habeatur solutio: adjiciatur deinde soda: habebitur nicolum præcipitatum.

Coletur solutio: tum vero niccoli oxydum obtentum iterum acido nitrico solvatur;

vatur; præcipiteturque sodæ carbonate: ergo oxydi 135 = 100 reguli. (*Lem. 44.*)

§. II.

*Prima quædam in tabula et Matrix,
zincum continens.*

ZINCVM.

ZINCVM dupliciter $\left\{ \begin{array}{l} 1. \text{ Statu Mineralisato,} \\ 2. \text{ Salino.} \end{array} \right.$ fese prodit; nimirum,

Statu Mineralisato.

Species I. Zincum, ferrum, ac sulphur continet.

Solvatur acido nitrico diluto:

Separato sulphure, habebitur zinci, ferrique solutio.

Adjiciatur zinci lamina: habebitur ferrum. Ergo præcipitati 100 = 100 reguli.

Adhibetur prussias potassæ: habebitur zincum; eritque prussiatis zinci 495 = 100 — a reguli. (*Lem 45.*)

Si

Si vero quædam portio cupri in minera extiterit, illud ferro præcipitabimus; ferrum autem zinco: eruntque ferri præcipitati 100 = 100 — a reguli.

Si in eadem minera argentum, plumbumve reperiatur, ex ipsamēt solutione argentum cupro præcipitabitur.

Argento autem separato, plumbum acido muriatico præcipitandum; illius autem valor determinabitur, si via quidem sicca exoxydatio fiat. (*Art. I. §. I. Spec. IV.*)

Extracto plumbi muriate, nihil amplius in solutione habebitur præter zincum, ferrum, & cuprum, quæ quidem statuta jam methodo & obtainienda, & aestimanda sunt.

Statu Salino.

Species II. Zincum, & acidum carbonicum.

Solvatur acido nitrico; præcipiteturque fodæ carbonate: ergo oxydi 193 = 100 reguli. (*Lem. 45.*)

Hujus

Hujus mineræ matrix esse potest, $\left\{ \begin{array}{l} 1. \text{ Insolubilis,} \\ 2. \text{ Solubilis.} \end{array} \right.$

Prima quidem in instantia : Matrix, antequam zincum præcipitetur, decantatione, seu filtratione separanda.

In altera: Matrix iterum esse potest, $\left\{ \begin{array}{l} 1. \text{ Calcarea,} \\ 2. \text{ Argillosa.} \end{array} \right.$

*Si primum: adfundatur solutioni acidum sulphuricum: habebitur sulphas calcareus (*Selenites*) præcipitatus.*

Coletur deinde, præcipiteturque postea zincum.

*Si vero matrix argillosa fuerit: adhibetur prussias potashæ: tunc vero, argilla in solutione remanente, præcipitabitur zinci prussias; eruntque $495 = 100$ reguli.
(*Spec. I.*)*

Species III. Zincum, & acidum sulphuricum.

Solvatur acido sulphurico; præcipiturque soda. Fil-

Filtretur deinde solutio; præcipitatumque iterum acido nitrico solvatur. Adhibetur tandem sodæ carbonas: habebitur zincum. Ergo oxydi 193 = 100 reguli. (*Spec. II.*)

ART. IV.

De fragilium semimetallorum analysi.

§. I.

ARSENICVM.

ARSENICVM tripli in statu reperitur,

1. Nativo,
2. Mineralisato,
3. Salino.

Statu Nativi.

Species I. Arsenicum continet immistum:

1. Matrici,
2. Metallis.

Primo casu: Adhibetur acidum nitromuriaticum.

Si matris insolubilis fuerit, præcipitabitur quidem, arsenico soluto.

Fil-

Filtretur solutio : eique adfundatur aqua : habebitur arsenicum præcipitatum.

Jam vero præcipitatum istud solvi iterum non licet , ut illi respondens reguli quantitas determinetur : ne scilicet quædam illius portio in acidum arsenicum transeat. Ut autem huic occurratur incommodo ,

Separetur arsenicum aqua præcipitatum : subigatur deinde oleo quovis : ignique tandem sublimatorio vase exponatur. Obtinetur prosector regulus ex Cap. I. §. 22. æstimandus.

Si vero matrix sit solubilis , simul quidem cum arsenico solvetur ; at vero minime aqua præcipitabitur. Separatum itaque arsenicum via sicca exoxydabitur , ut diximus.

Altero casu : Nativum arsenicum argento , ac ferro immixtum reperitur.

Adhibetur acidum nitro-muriaticum : quo quidem argentum præcipitabitur , arsenico , ferroque soluto.

Co-

*Coletur solutio : obtinebitur argentum
(Art. I. §. III.)*

*Adfundatur solutioni aqua : habebitur ergo arsenicum præcipitatum , quod via sicca exoxydabimus. (1.º cas.)
In solutione remansit ferrum.*

Præcipitetur itaque soda : iterum deinde acido muriatico solvatur , ac sodæ carbonate præcipitetur (Art. II. §. II.)

Statu Mineralisato.

Species II. Arsenicum , sulphur.

Digeratur minera acido muriatico ; adhibeatque pauxillatim acidum nitricum , quo scilicet facilius solutio obtineatur.

Colatione deinde facta , habebitur in filtro sulphur ; in solutione arsenicum.

Præcipitetur arsenicum aquæ ope.

Quum autem fieri non possit , quin solutio longiori temporis spatio , & caloris ope

ope peracta quandam arsenici portionem
in acidum arsenicum converterit; idcirco

Post filtrationem evaporetur solutio
ad siccitatem usque: habebitur enim eo
modo acidum arsenicum concretum: quod
cum antea obtento præcipitato conjun-
ctum, via sicca exoxydandum (*Spec. I.*):
tunc enim vero illius proportionem adcu-
rate definiemus.

Statu Salino.

Species III. Arsenicum, & acidum carbo-
nicum.

Solvatur acido nitro-muriatico; præ-
cipiteturque aqua, ac tandem exoxydetur.
(*Spec. I.*)

§. II.

WIS MVT HVM.

TRIPLEX statu wif-
muthum reperitur, { 1. Nativo,
2. Mineralisato,
3. Salino.

Statu

Statu Nativo.

Species I. Wismuthum $\left\{ \begin{array}{l} 1. \text{ Matrici,} \\ 2. \text{ Substantiis metallicis immis-} \\ \text{tinet} \\ \text{sum.} \end{array} \right.$

Si 1.^{um} Trituretur minera : lavetur : solvatur acido nitrico : coletur : adfundatur aqua, habebiturque wismuthum : ergo oxydi 113 = 100 reguli. (*Lem. 47.*)

Si 2.^{um} Substantiae metallicae , quae cum nativo wismutho conjunctim reperiuntur , sunt argentum , & cobaltum ,

Adhibeatur acidum nitricum : omnia solventur.

Adfundatur aqua : habebitur wismuthum : ergo oxydi 113 = 100 reguli. (1.^o cas.)

Colata solutione , habebitur in ea argentum , atque cobaltum.

Adhibeatur acidum muriaticum: ergo muriatis argenti 133 = 100 reguli. (*Art. I.* §. III.)

Co-

Coletur solutio : adjiciatur soda : habebitur cobaltum ; ergo oxydi $140 = 100$ reguli. (*Lem. 48.*)

Coletur Statu Mineralisato.
Specis II. Wismuthum , sulphur.

Adhibetur acidum nitricum dilutum : habebitur sulphur separatum , wismuthum vero solutum.

Coletur solutio : wismuthumque aqua præcipitetur ; ac tandem æstimetur. (*Spec. I.*)

Species III. Wismuthum, ferrum, sulphur.

Adjiciatur acidum nitricum dilutum : sulphur separabitur ; wismuthum vero , ac ferrum solutionem subibunt.

Filtretur : wismuthumque aqua præcipitetur. (*Spec. I.*)

Ferrum eodem acido oxygenetur ; iterumque acido muriatico solvatur , ac tandem sodæ carbonate præcipitetur. (*Art. II.*
§. II.) *Statu*

Statu Salino.

Species IV. Wismuthum, & acidum carbonicum.

Solvatur acido nitrico, & aqua præcipitur. (*Spec. I.*)

Species V. Wismuthum, & acidum sulphuricum.

Adhibetur acidum sulphuricum, donec perfecta obtineatur solutio, præcipiturque aqua.

Wismuthum autem præcipitatum separetur; iterumque acido nitrico solvatur; ac denuo aqua præcipitur. (*Spec. I.*)

§. III.

COBALTVM.

COBALTVM duplicitate se prodit; { 1. Statu Mineralisato,
 to,
 2. Salino.

Statu Mineralisato.

Species I. Cobaltum, ferrum, sulphur. Adji-

Adjiciatur acidum nitricum : quo quidem sulphur separatur ; cobaltum vero ac ferrum solvuntur.

Coletur solutio : servet fiatque ad siccitatem usque : habebitur compositum quoddam ex cobalti , ferri et oxydis.

Adjiciatur ei acidum acetosum : et oxydum quidem cobalti solvetur.

Tum vero , percolatione facta , obtinetur in filtro oxydum ferri ; in solutione vero cobaltum.

Evaporet solutio ad siccitatem : residuumque acido nitrico iterum solvatur : præcipitetur deinde sodæ carbonate : habebiturque oxydi cobalti $160 \equiv 100$ reguli . (Lem. 48.)

Oxydum ferri acido acetoso insoluble , solvatur acido muriatico , et sodæ carbonate præcipitetur . (Art. I. §. I. Spec. IV.)

Species II. Cobaltum , ferrum , arsenicum.

Adjiciatur acidum muriaticum , quo universæ prædictæ substancialiæ solventur . (ex Lematib.)

O

Ad-

Adfundatur aqua ; præcipitabiturque arsenicum , facile quidem æstimandum .
(Art. IV. §. I.)

Decantetur solutio ; cobaltumque a ferro separetur , ut Spec. I.

Species III. Cobaltum , ferrum , sulphur , arsenicum .

Adhibeatur acidum muriaticum ; quo quidem sulphur separabitur , cæteris substantiis solutis .

Separato sulphure , adfundatur aqua : habebitur arsenicum (Spec. II.) ; eo autem separato , nova nempe filtratione ; cobaltum quoque a ferro separari poterit , ut Spec. I.

Species IV. Cobaltum , et acidum carbonicum .

Solvatur acido nitrico ; sodaque præcipitetur : ergo oxydi cobalti $140 = 100$ reguli . (Lem. 48.)

Si

Si in ejusmodi mineris (quod fieri quidem potest) argentum reperiatur ; tunc vero lamina cupri opus erit : habebiturque ejus opere præcipitati argenti 100 = 100.

Quandoquidem vero eo in casu in cobalti solutione cuprum quoque e lamina disjunctum reperiatur necesse est ; idcirco non adhibenda quidem soda , quæ utramque simul præcipitaret substantiam.

Præcipitetur ergo cuprum ferri lamina.

Filtretur deinde solutio : quumque in ea cobaltum , ferrumque existent , processus instituendus , ut Spec. I.

Quod si vero in prædictis mineris et nicolum reperiatur , analysim quidem Art. III. §. I. descriptam pérsequemur.

Species V. Cobaltum , acidumque sulphuricum.

Adhibetur acidum sulphuricum , donec perfecta obtineatur solutio : iniciatur soda : habebitur cobaltum præcipitatum.

Præcipitatum autem iterum acido nitrico solutum ; iterumque prussiate potassæ præcipitabitur : ergo $142 = 100$ reguli. (Lem. 48.)

§. IV.

MAGNESIVM.

R E P E R I T V R magnesium statu Salino.

Statu Salino.

Species I. Magnesium triplici sub forma continere potest ; nimirum 1. puri oxydi :
2. cum matrice,
3. cum ferro con-
junctum.

1.º Oxydum magnesii nativi , dum aliqua oxygenii portione privatum non fuerit , acidis insolubile est : ac proinde

Injiciatur minera acido nitrico : adjungatur parum sacchari ; digestionisque calori exponatur. Observabitur profecto quædam solutio.

De-

Decantetur: residuoque iterum adhibetur tum acidi, tum sacchari æqualis quantitas, itereturque idem processus, donec nulla omnino appareat solutio.

Liquores simul omnes magnesium solutum continent.

Adjiciatur sodæ carbonas: habebitur magnesium præcipitatum: ergo oxydi 180 ≡ 100 reguli. (*Lem. 49.*)

2.^o Mineræ matrix { 1. Insolubilis
esse potest, { 2. Solubilis.

Si primum; solvatur eodem modo atque instantia prima: tunc vero matrix præcipitata in filtro residua erit: solutiones vero post filtrationem magnesium duntaxat continebunt.

Si secundum; Magnesium zinco præcipitetur: quum autem magnesium ita præcipitatum in statu perfecti reguli non obtineatur; idcirco iterum acido nitrico, adjecto saccharo dissolvendum, præcipitandumque, ut 1.^o casu.

3.^o Solvatur minera, ut præcedenti casu ; seruetur postea ad siccitatem usque ; habebiturque compositum quoddam ex magnesii ac ferri oxydis.

Adjiciatur huic composito acidum acetosum : quo quidem solum magnesii oxydum solvetur. (Art. I. §. I. Spec. IV.)

Coletur : evaporeturque usque ad siccitatem : habebitur magnesii oxydum separatum.

Dissolvatur acido nitrico facchari additione ; præcipiteturque sodæ carbonate, (1.^o casu.)

Oxydum autem ferri in filtro residuum , iterum acido muriatico solvendum , ac sodæ carbonate præcipitandum. (Art. II. §. II.)

§. V.

MOLYBDENVM.

MOLYBDENVM non nisi in statu Mineralisato reperitur,

Spec-

Species I. Molybdenum, et sulphur.

Trituretur: ustuleeturque, donec albescat:

Adhibeatur acidum nitricum in ea scilicet proportione ut 3 : 1. Exficcetur: eademque itereretur operatio bis, aut tertio, donec observetur acidum nitricum non esse sensibiliter decompositum. Tunc vero habebitur acidum molybdicum concretum.

Cujus quidem acidi sumatur portio quædam; quolibet oleo subigenda. Dividatur deinde in parvos globulos, qui in crucibulum carbonis pulvere intrinsecus obductum imminittantur: obtegantur carbonis pulvere: crucibulo deinde probe clauso, duarum, triumve horarum spatio violenti ignis actioni exponatur: obtinebitur molybdeni regulus, cuius quantitatem facile erit æstimare.

§. VI.

S T I B I V M.

S T I B I V M duplici statu reperitur,

- 1. Mineralisato,
- 2. Salino.

Stas.

Statu Mineralisato.

Species II. Stibium, sulphur.

Adjiciatur acidum nitro-muriaticum: sulphur quidem purum remanebit, stibium vero solvetur.

Percoletur solutio: serueturque acido nitrico: habebitur stibium oxygenatum, quod quidem per semetipsum præcipitat: ergo stibii oxygenati $138 = 100$ reguli. (*Lem. 52.*)

Species III. Stibium, et arsenicum.

Adhibetur acidum nitro-muriaticum: utraque profecto substantia solvetur. (*ex Lematib.*)

Adjiciatur solutioni acidum nitricum, in eo nimirum pondere, quod sit ad pondus mineræ :: 2 : 1.

Ebulliat deinde: habebitur stibium majori oxygenatione præcipitatum. (*Spec. II.*)

Separetur stibium; arsenicum vero aqua præcipitetur, ac tandem via sicca exoxydetur. (*Art. IV. §. I.*) *Sta-*

Statu Salino.

Species IV. Stibium, et acidum carbonicum.

Solvatur acido nitro-muriatico: præcipiteturque sodæ carbonate: ergo 140 = 100 reguli. (*Lem. 50.*)

Species V. Stibium, et acidum muriaticum.

Adjiciatur acidi muriatici ea quantitas, donec perfecta obtineatur solutio: adhibeturque soda: habebitur stibium præcipitatum.

Percoletur: iterumque acido nitro-muriatico solvatur, ac sodæ carbonate præcipitetur: ergo 140 = 100 reguli. (*Spec. IV.*)

§. VII.**T V N S T E N V M.**

T V N S T E N V M invenitur tantum statu Salino.

Spec-

Species I. Tunstenum , et oxygenium.

Trituretur minera : misceaturque tribus , quatuor-ve carbonatis potassæ partibus : igne liquefacat mistio : ac post refrigerationem , denuo calida aqua solvatur : coleatur: adhibetur solutioni acidum muriaticum : habebiturque tandem acidum tunsticum præcipitatum.

Filtretur deinde ; laveturque præcipitatum , et exsiccatur.

Exoxydetur tandem via sicca : cæteraque omnia fiant , ut statuimus circa molybdeni exoxydationem. (§. V.)

Species II. Tunstenum , oxygenium , oxydum ferri , et magnesium.

Hujus speciei analysis eodem modo instituenda ac *Spec. I.* Enim vero magnesii oxydum , dum aqua calida mistum solvimus , præcipitatur : oxydum autem ferri , si quidem remansit , suspensum in solutione , acidi muriatici interventu solvetur ; ac proinde acidum tunsticum concretum , a cæterisque substantiis plane explicatum , præceps fuerit. A R T.

ART. V.

De semimetallici fluidi analysi.

§. Unicus.

HYDRARGYRVM.

H YDRARGYRVM
triplici in statu reperitur: {
 1. Nativo,
 2. Mineralisato,
 3. Salino.

*Statu Nativo.**Species I. Hydrargyrum nativum.*

Hujus autem quod tentamine indiget,
dupliciter existere potest: nimurum

{ 1. cum matrice,
 2. cum metallicis substaniis copulatum.

*Si primum: lotionis, destillationisque
operationibus locus erit.*

Si

Si alterum obtinet ; substantiae metallicæ, quæ nativum hydrargyrum comitari plerumque solent, sunt aurum, argentum, ac wismuthum.

Adhibeatur acidum nitricum : aurum cum solvi nequeat, præcipitabitur.

Auro extracto, remanebit in solutione hydrargyrum, argentum, et wismuthum.

Adfundatur aqua : habebitur wismuthum ; quod quidem æstimare poterimus. (*Art. IV. §. II.*)

Residua ergo sunt hydrargyrum, argentumque.

Adhibeatur acidum muriaticum : et utraque substantia præcipitabitur.

Præcipitatum hocce compositum in retortam introducatur, destilletque : habebitur hydrargyrum in statu reguli.

Argenti vero murias, fixus remansit : eruntque 133 = 100 reguli. (*Art. I. §. III.*)

Statu Mineralisato.

Species II. Hydrargyrum, sulphur.

Adhibeatur acidum nitro-muriaticum tribus acidi nitrici, unaque acidi muriatrici partibus constans, cuius pondus sit ad pondus mineræ :: 8 : 1. Habebitur hydrargyrum solutum, sulphurque separatum.

Coletur: adjiciaturque solutioni zinci lamina: habebitur hydrargyrum: ergo 100 = 100 reguli.

Species III. Hydrargyrum, cuprum, sulphur.

Ignis actioni in sublimatorio vase minerali exponatur: habebitur cuprum fixum, sulphuretum vero hydrargyri (*Cinnabarim*) sublimatum.

Hoc autem adcuratissime separato, instituendus in eo processus *Speciei II.*

Cuprum acido nitrico solvendum; sed carbonat præcipitandum, ac tandem æstimandum. (*Art. II. §. I.*)

Sta-

*Statu Salino.**Species IV. Hydrargyrum oxygenatum.*

Solvatur acido nitrico, ac sodæ carbonate præcipitetur: ergo 110 = 100 reguli. (*Lem. 51.*)

Species V. Hydrargyrum, et acidum mu-
riaticum.

Solvatur aqua calida; sodaque præci-
pitetur.

Tum vero percoletur: iterumque aci-
do nitrico solvatur, et sodæ carbonate
præcipitetur. (*Spec. IV.*)

Species VI. Hydrargyrum, et acidum sul-
phuricum.

Adhibeatur acidum sulphuricum, do-
nec obtineatur solutio: adjiciatur tum la-
mina zinci: habebitur hydrargyrum: er-
go 100 = 100 reguli.

C A P. III.

METALLICARVM substantiarum analysis nec semper via humida perfici potest, sed viam quidem sicciam persequi quandoque opus est. Quo igitur fīve in parvis, fīve in magnis quantitatibus suscepiti labores optimum effectum consequantur, necessaria omnino est fusio.

Metallicæ tamen substantiæ fusione permiscentur plerumque. Quum ergo perfecta metalla tum proprietatibus, tum prætio præ imperfectis, et semimetallis præstantiora sint; parum quidem adaccurata essent tentamina, magnique labores minorem præ se ferrent utilitatem, nisi perfecta metalla ab aliis metallicis substantiis sejungendi ratio constaret.

Id vero cupellatione consequitur. (*P.I. Cap. II. Art. I. §. 9.*) De cupellatione igitur primo hujus Capitis articulo sermonem instituemus.

Iam vero perfecta metalla alia aliis quoad proprietates suas proxima sunt.

Et-

Etsi ergo cupellatione ab aliis metallicis substantiis separentur, inter se tamen unita manere experientia notum est.

Necessaria igitur est methodus, qua et a se invicem disjungantur.

Ea vero methodus *Separationis* (Gallice *Depart*) processum constituit. (*P. I. C. II. Art. I. §. 10.*) De quo quidem altero hujus Cap. articulo pertractabitur.

A R T. I.

§. I.

De Cupellatione.

CVPELLATIONIS finem alium non esse, nisi metallorum imperfectorum, aut semimetallorum, quæ perfectis immixta sunt, vitrificationem, scorificationemve promovere, jam alibi statuimus. (*P. I. C. II. Art. I. §. 9.*)

Diximus quoque (*ibid.*) plumbum, ac wismuthum eas esse substancias, quæ ejusmodi fini consequendo aptæ sunt.

Quum

Quum tamen binæ hæ substantiæ argento sœpe sœpius immistæ sint ; (*P. I. C. I. Art. IV. §§. XIII. XVIII.*) illud in primis Metallurgus curare debet , ut de illarum sinceritate certus fiat , (maxime si de tentamine agatur) ut nimirum propositum finem sine errore consequi valeat .

§. II.

Quod vero adtinet ad proportionem qua plumbum , wismuthumque diversis cupellationibus sunt adhibenda , varia est sententia . Alii siquidem maximam putant requiri quantitatem , quo nempe securius perfectorum separatio metallorum obtineatur .

Alii e contrario minimam quantitatem cupellationis fini adcuratissime consequendo adhibendam esse opinati sunt : ea nimirum ratione ducti , plumbum ac wismuthum scorificatione quamdam nobilium metallorum portionem nunquam non secum trahere .

Quum autem utraque sententia , nostro judicio , vitio laboret , ut medium teneamus , experientia maxime consulenda .

P

A.

- A. Quum metalli cujusdam perfecti proportionem ac puritiem determinare voluerimus ; quantitas quidem scorificantis substantiae , & accurata , & præcognita fit oportet , ita ut cupellæ pondus non excedat , imo vero ab eo superetur.
- B. Quum vero in magnis laboribus perfecta metalla purificare , & ab omni prorsus mistione separare volumus , tum vero substantiæ scorificantis , & scorificandæ quantitates inter se esse debent :: 8 : 10 circiter.

Ad argenti cupellationem , sequentem Tabellam adcuratissimis experimentis confirmarunt *Hellotus* , *Macquerus* , atque *Tilletus*.

Plum-

Plumbi neimpe quantitatem ad eam argenti esse debere , si argentum 12 denariorum sit - - - - :: 2 : 1.

Si arg. 11 den. & 12 gran. :: 4 : 1.

Si 11. denar. - - - - :: 6 : 1.

Si 9. denar. - - - - :: 10 : 1.

Si 8. - - - - :: 12 : 1.

Si 7. - - - - :: 14 : 1.

Si 6. - - - - :: 16 : 1.

§. III.

Iusta ignis applicatio maximi quoque in cupellatione momenti res est.

A. Si enim modum excedat , plumbum quidem ac wismuthum rapido motu ad cupellam transiunt , quin substantias scorificandas tecum ferant.

B. Si vero nimium sit remissus , duo inde oriuntur incommoda.

1.^o Litargyrum majoribus massis adunatum penetrandæ cupellæ ineptum evadit.

P 2

2.^o

2.^o Operationis progressu obstat :
litargyrum enim vero con-
densatum metallicæ misti-
onis superficiem tegit, quin
aeri liberum accessum præ-
beat.

§. IIII.

Caloris nimetas ex sequentibus phæ-
nomenis agnoscenda.

1.^o Si massæ liquatæ superficies con-
vexa nimium apparuerit ;

2.^o Si vehementiori agitur motu ;

3.^o Si cupella candens adeo extiterit ,
ut litargyri eam penetrantis co-
lores conspiciendos non præ-
beat.

Quum autem nimius calor sit opera-
tioni noxious (§. III.) , idcirco , ut mode-
rari quidem possit , carbones ab tegulæ
docimasticæ ingressu extrahendi , aut fo-
ramina quidem E E E E (Fig. 21) instru-
nentis propriis (Fig. 25) obturanda (P. I.
C. II. Art. III. §. 21.)

§. V.

§. V.

Calorem vero nimis remissum esse ex sequentibus judicabis.

- 1.^o Si liquati metalli superficies (habito nimirum ad totam massam respectu) parum sphærica apparuerit ;
- 2.^o Si lentissimo agatur motu ;
- 3.^o Si cupellæ color sit opacus ;
- 4.^o Si cupella denique quadam oxydi plumbi , aut wismuthi pellicula obtegatur , quin eam absorbeat.

Iam vero cum & calor nimium remissus operationi noceat (§. III.), majori profecto aeris fluentis copia augeatur necesse est. Tum vero observare crit

- 1.^o Pelliculam evanescere ;
- 2.^o Oxydum a cupella absumptum vitrificari ;
- 3.^o Circulationem sensibilem evadere;

§. VI.

§. VI.

Quum vero utrumque extreum in
vitium ducat (§. III.); siccirco ignis ita
temperandus, ut sequentia phænomena
observentur:

- 1.^o Ut tota liquata massa superficiem
sensibiliter convexam servet;
- 2.^o Ut eademmet superficies undula-
torio quodam motu continuo
agitetur;
- 3.^o Ut præterea majorem præ cupel-
la incandescentiam exhibeat;
- 4.^o Ut denique litargyri quodam vel-
ut annulo circumdata appareat,
qui a cupella absemptus per-
petuo tamen renovetur.

Quæ phænomena quandiu conspicua
se se præbuerint, tandiu processus conti-
nuandus erit, ac persequendus.

§. VII.

Quandoquidem ergo & ignis, & sco-
ri-

rificantium quantitas non semper adcurate applicantur; cupellæque præterea formâ ac naturâ suo fini consequendo aptissimâ carent aliquando; fieri inde potest, ut harum rationum qualibet, plumbeum, aut wismuthum cupellis absunta, aliquam perfectorum metallorum portionem secum auferant.

Ergo ut justam in tentaminibus quantitatem æstimare, integrumque in magnis laboribus utilitatem capere possimus, cupellæ, quibus usi fuimus, sedulo servandæ sunt, ut extractis inde scorificantibus corporibus, contentam in eis metallorum nobilium portionem separemus. (*Act. Academ. An. 1763.*)

§. VIII.

Cupellarum finis est, substantias, quæ in vitrum sive scoriam abierunt, absorbere, metalla vero perfecta cavitate sua retinere. (*P. I. C. II. Art. III. §. 16.*) Maxime igitur curandum, ut justam cum scorificantarum substantiarum quantitate proportionem habeant, ne scilicet ipsi met absorbendis impares omnino repe-

ri-

riantur, idque præsertim quum de tentamine instituendo agitur.

§. VIII.

Quum igitur de cuiuslibet perfecti metalli sinceritate judicium est ferendum, ipsave metalla ab aliis metallicis substantiis disjungenda, sequenti via incedamus oportet.

Sumatur portio purificanda, accurateque bilance (*Fig. 16*) ponderetur.

Seligatur deinde cupella (*Fig. 17*), colloceturque sub tegula docimastica (*Fig. 21*), ac tandem in fornacem introducatur (*Fig. 26*). Postquam cupella incandescitiae gradum attigerit, in eo statu per horæ dimidium servetur: quumque rubrum subalbican tem induerit colorem, in eam tum metallum purificandum, aut mistio perfecta metalla continens immittatur simul cum ea plumbi, aut wismuthi portione, quæ conveniens visa fuerit. (§. II.)

Ca-

Calor deinde augeatur, clausa ni-
mirum portula (n.^o 2.), & aper-
to cinerarii B fundo: eoque sta-
tu servetur, donec perfecta obti-
neatur fusio: perfecta autem
erit, si massa liquata rubrum
emittat colorem; si fumum ex-
halet, motuque undulatorio agi-
tata superficiem lævem, &
æqualem undeaque exhibeat.

Tum vero loco portulæ (n.^o 2.)
alia apponatur (*Fig. 28*), quo
nempe Metallurgus caloris gra-
dus ita temperare possit, ut no-
tata phænomena (§. IV, V) vi-
tare, alia vero §. VI descripta
perpetuo consequi possit.

Et in eo quidem statu processus ad fi-
nem usque servandus.

§. X.

Processus autem absolutus habebitur:

Quum globulus metallicus majori,
quam paulo ante, densitate prædictus ap-
paru-

paruerit , nullaque litargyri pellicula te-
ctus , sed vero colore vivido ac radiante
splendens.

XI.

Quum ad eum statum operatio perve-
nerit , cupella aliquibus adhuc momen-
tis in eodem caloris gradu servanda , ut
nimirum , quod mistionis forte superfuit ,
sub metallico globulo retentum scorfice-
tur. Ita enim perfecta metalla , & qui-
dem sola , ac pura obtinebimus.

§. XII.

Tum vero lente frigescat cupella ,
donec metallicus globulus condensetur :
is deinde ferrea forcipe , cupella adhuc
calente , extrahatur ; pondereturque tam-
dem , ut ponderis differentia notetur.

Quo autem nihil prorsus dubii circa
tentamen remaneat ; institui potest pro-
cessus duplici cupella sub eadem tegula
docimastica , ut nempe effectus compa-
rando , de operationis successu multo red-
damur certiores.

§. XIII.

§. XIII.

Etsi vero cupellationis processus accuratus videatur, tamen certum est, non semper metalla perfecta omnino pura in cupella obtineri. Ejusmodi enim vero processus perfectio a plurimis pendet: & quidem

1.^o A majori, minorive, qua scorificantes substancial erga scorificandas adfinitate donantur;

2.^o A majori quoque, vel minori adfinitate, quam metalla perfecta, cæteraque inter se habent;

3.^o Ex eo quod imperfecta metalla ad liquationem, vitrificationemque magis minusve opta fint;

4.^o Tamdem ex vario in metallis perfectis fusibilitatis gradu.

§. XIV.

Ex quibus ea quidem corollaria consequuntur.

- 1.^{um} Ex omnibus perfectis metallis argentum præ cæteris facilius cupellari posse : 1.^o enim majori fusibilitate, quam aurum & platinum, gaudet : 2.^o majori quoque adfinitate ad plumbum trahitur.
- 2.^{um} Ad platini, argentine ferro immisti cupellationem optime wismuthum præ plumbo adhiberi : quandoquidem wismuthum majori quam plumbum adfinitate ferro adhæret.
- 3.^{um} Auri cupellationem, & difficultatem, & imperfectiorem esse ; quum difficilius quoque præ argento aurum liuationem subeat.
- 4.^{um} Longe difficillimum fore cuprum a perfectis metallis cupellatione penitus extrahere : cuprum enim nobilibus metallis adunatum maxime scorificationi plumbi auxilio obtinendæ obstat, idque præsertim, si auro immistum sit.

§.^{um} Platini cupellationem omnium esse difficillimam, magisque imperfectam: 1.^o quia platinum vi tri plumbi actioni maxime obfistit; 2.^o quia difficulti negotio liquatur; 3.^o quia intimam cum ferro unionem adfectat: Ferrum autem ad cupellam transiens fieri non potest, quin quasdam platini particulas secum deferrat.

§. XV.

Ex quibus omnibus facile est colligere, non solum quomodo in cuiuslibet metalli perfecti, missionisve ipsi adunatae scorificatione procedendum; verum etiam quandonam certi esse poterimus, effectum adcuratissimum obtinuisse, nec operationem immutandam, iterandamve.

§. XVI.

In magnis laboribus eae cupellae adhibendae, quae quinquaginta felibras ad centum usque unica cupellatione purificandas capere possint: ita enim & combustibilium corporum, & temporis minus absimitur. Ejus-

Eiusdem vero cupellæ ex vegetabilium cineribus efformari possunt : optimæ erunt tamen, si & ossium calce in iis componendis usi fuerimus. (P. I. C. II. Art. III.)

ART. II.

De Separatione.

§. I.

QVVM perfecta metalla non ignis solum, verum etiam plumbi, wismuthique actioni, dum scoriaantur, obsistere, & inter se copulata post cupellationem manere soleant ; alia proinde media pertentare opus est, quo ab invicem separantur. Id vero *Separationis* objectum constituit.

§. II.

Diximus jam supra hujus operationis fundamentum in eo consistere, quod singularum metallicarum substantiarum tum solutioni, tum præcipitationi propria sint menstrua. (P. I. C. II. Art. I.)

Quum igitur observatione constet, acidum nitricum, nitro-sulphuricum, &

muriaticum , sulphurque argentum non aurum solvere; ac præterea acidum nitro-muriaticum aurum duntaxat petere; modum hinc colligere licet, quo duæ hæ substantiæ ab invicem separentur.

Quumque observatione itidem certum sit, aurum & platinum eodem quidem acido dissolvi, & præcipitantibus tamen diversis præcipitari; (*P. II. C. II. Art. I. §. II.*) non difficile quoque inde erit colligere, quomodo platinum ab auro separari possit.

§. III.

Iam vero, qua ratione perfectorum metallorum *separatio* obtineatur, ubi de mineralium examine docimastico actuni est, diximus (*P. I. C. II. Art. I.*) Nunc ergo de *Separationis* processu in magnis laboribus instituendo agere operæ præmium est. Cæteris ergo processibus prætermissis, de quibus *P. I.*, sequentem duntaxat adoptabimus.

Detur nimirum quælibet auri atque argenti mistio, ut harum quidem substantiarum alia ab alia separentur.

Su-

Sumatur argentum purissimum, datæque massæ immisceatur, ita ut sit argenti quantitas ad illam auri :: 3 : 1, vel secundum *Sagium* :: 2 $\frac{1}{2}$: 1.

Adhibeatur deinde plumbum: & cappellationi subjiciatur.

Habebitur quidem & omnium substantiarum heterogenearum extractio, & perfecta auri argenteique fusio.

Nova isthæc argenti & auri mistio ad tenues lamellas redigatur, quæ in cucurbitam introducantur.

Adfundatur tum acidum nitricum ad 32 concentrationis gradus; quo quidem argentum vapores emittens solvitur. Horæ quadrante præterlapso, idem iteretur processus, decantata nimirum solutione, no voque acido & puriore, & meraciore adhibito, ut ultimas, minimasque argenti particulas petat.

Et ea quidem operatione peracta habebitur in cucurbita aurum purum.

La-

Lavetur tum calida aqua, donec ipsam
met insipida reddatur: exsicetur aurum:
ponderetur: statimque illius proportio no-
bis cognita erit.

§. IV.

Argentum in solutionibus restitit.
Ut ergo illud obtineatur, in magnis va-
sis, sufficientique aquæ quantitate attenu-
andum: tum vero cupri laminis immis-
sus, argentum obtinebimus.

§. V.

Processus separationis platini in ma-
gnis laboribus idem plane est, atque in
eius docimasia.

Solvatur nimirum mistio acido nitro-
muriatico: præcipiteturque platinum mu-
riatis ammoniacalis ope.

Q

S E

SECTIO II.

CAP. I.

MINERÆ Metallicæ in terræ visceribus recluduntur, montesque ipsarum domicilium maxime cognoscuntur:

Primum igitur de monte metallifero, ad quem Metallurgus potissimum attenderè debet, pertractabimus.

Venæ metallicæ in sinu telluris diverso modo collocantur, & extenduntur; earumque directionem (proxime saltem) prosequi debet Metallurgus, quoties de cavitatibus quibuscumque, seu aperturis proveniarum exploratione faciendis agitur:

Hinc secundo pauca de Geometria subterranea delibabimus.

Cum ditissimæ plerumque venæ, seu unius ejusdemque venæ ditior pars in inferiori montis metalliferi parte offendatur; necesseque tunc habeat Metallurgus pro-

profundiores multo excavationes agere, subque multiplici directione vias sibi aprire, in campumque exspatiari, ut venarum ductum sua in directione prosequatur; fieret procul dubio, ut incassum omnis adhiberetur industria, aere operariorum aptissimo respirationi deficiente:

Tertio igitur loco, de mediis aetrem in metallifodinis innovandi, verba faciemus.

Præter generaliores quasdam, quæ ad Metallurgum perficiendum requiruntur cognitiones, aliæ quoque sunt necessariæ, cujusque locorum peculiares, quæque pro diverlo minerarum situ magnopere variant:

Quarto igitur, postremoque loco, quid juxta quælibet loca, aut climata, variamque montis indolem animadvertendum maxime sit, ac consulendum, ut accurasier metallicæ substantiæ obtineri possit extractio, indicabimus.

ART. I.

De Monte Metallifero.

§. I.

DVPLICI sub adspicu Montem Metalliferum contemplatur Metallurgus : 1° externe ; 2° interne. Externorum quorumdam indiciorum, licet valde quidem lubricorum, ope , minerarum existentia conjectatur. Sunt autem modo dicta indicia ;

1.° Montis vetustas : siquidem non in primævis, s. antediluvianis , ut nec in recentioris formationis montibus , mineræ frequentius occurrunt metallicæ ; sed in iis maxime , quæ secundaria formatione extiterunt.

2.° Figura : sic enim , quo magis ad verticalem mons accedit directionem , eo steriliorem esse observatione constat : contra vero , montes illi metallo ditiores esse creduntur , quorum minor ad horizontem inclinatio reperitur.

3.° Structura : nam lapidum, qui mon tem